



Ludewig

- 1) De rebus iur. Rom: et Germ  
in Donationibus
- 2) — In consensu connubiali extra patrem
- 3) — In venatione eiusq. legali.
- 4) — In ferarum furto.

J. H. Boehmer

- 5) De Administratoribus bonorum Eccl.
- 6) De Dominio litis
- 7) De curfu praescriptionis contra minores  
suspenso
- 8) De restitutione in integrum contra spoli  
sua minorum
- 9) De crimine suspecti
- 10) De Executivum pœnis  
N. Hier: Gundl
- 11) De transmissione actorum in rebus iur  
periti permissa eiusq. repetitione
- 12) De renunciacione hereditatum filiarum  
illustriem

Carol Henr Heegen

- 13) De Japonia etc non Iur. H. G. L. G. G. G. G.  
Schroeter
- 14) De Laminis earumq. processu criminali  
Gruber
- 15) De Cultura Historiae Universalis  
Georgii Schubarti
- 16) Henricus Henricus Wimp: exemplum  
furbatal reipubl.
- 17) Judicium ubi in Vanis Juidis in Kofly

Wd. 67.

58 Instrumentum pacis inter Confederatos  
Regni Polon: status


19) Von Hainhofer's Hand

20) Hollmann  
de

Harmonia inter animam et corpus praec  
21) Stabilita dig: prior et posterior

21

Schlittius



DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
POSTERIOR

DE

# HARMONIA

INTER

ANIMAM ET CORPVS  
PRAESTABILITA

*EX MENTE ILLUSTR.*

GODOFR. GVILIEL. LEIBNITII  
ET CELEB.

CHRISTIANI WOLFFII

*QVAM*

A. O. R. M DCC XXIV. DIE IVL.  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
PRAESIDE

M. SAM. CHRISTIANO  
HOLLMANNO

ORD. PHIL. ASSESS.

DEFENDET

GOTTLIEB FINDEISENIVS

GRIESBACENSIS MISN.  
S. S. THEOL. STVD.

---

VITEMBERGAE LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

DISSEMINATIO PRAELECTIONUM  
POSTERIORUM  
DE

HARMONIA

ANIMAE ET CORPUS  
PRAESENTIA

GODFR. GALLIUS

CHRISTIANUS

A. O. M. D. C. L. X. V. DIE  
IN ACADEMIA PRAELECTIONUM

M. SAM. CHRISTIANO  
HOLLMANNO

ORD. PUBL. AEGES

DRESDEN

COTTLEB. FINDERLINVS

GARTNERSTRASSE NUM.  
2. S. THEOL. STAD.

VITAE GEBURTAE



DISSERTATIO POSTERIOR.

§. I.



ostquam ergo mentem illustr. LEIBNITII & celeb. WOLFII paulo fufius explicui-  
 mus, ita tamen, ut de ipsis eorundem argu-  
 mentis & rationibus, quibus systema suum  
 iidem adstruere conantur, iusta simul fuerit  
 a nobis instituta disquisitio, atque adeo,  
 quid systema *harmonia preestabilita* sit, quam  
 lubricis innitatur fundamentis, jam con-  
 stet; ad ipsa jam progredimur argumenta,  
 quibus physicam hujus ipsius systematis impossibilitatem evinci  
 posse putamus. Nolumus tamen eam hic adhibere in convel-  
 lendo hoc systemate methodum, qua usus adversus eundem est ma-  
 xime rever. Dn. D. JOACHIMVS LANGIVS in *modesta disquisi-  
 tione novi system. de DEO, mundo & homine p. 2.*, ubi *postulatorum*  
 consignaturus *theoriam*, quam in ipsa deinceps tractatione con-  
 futationi suæ fundamenti loco substerneret, numero secundo ali-  
 quid, ut sibi a celeb. Wolffio concedatur, postulat, in quo tamen  
 controversiæ statum versari ipse vir rever. non ignorat. Non  
 facile crediderit, quisquis hæc leget, fore, ut talia a viro rev.  
 fuerint commissa, inprimis si observaverit, eundem virum rever.  
 in *vindicis hujus modestæ disquisit. p. 30.* afferere : *disquisitionis*  
 suæ *protheoriam* (est autem hæc ipsa protheoria postulatorum)  
*methodo demonstrativa consignatam esse*, nisi ipsius viri rever. lege-  
 rit verba. Ita ergo habet l. c. *postul. 2. p. 2.* *inter duas essentielles*  
*hominis partes, animam & corpus, tanquam duas substantias physice*  
*distinctas, est unio physica - - uti communione, sic etiam operatione*  
*physica, se exerens.* Miratus isthæc sum, cum prima eadem vice  
 legerem, atque, quod ejusmodi quid a viro rever. non expecta-  
 veram, quo loco hæc haberem, ignorabam. Etenim quæritur:  
 num anima physico, quod dicunt, influxu in corpus, & corpus  
 ejusdem generis influxu in animam, operetur, an vero alio quo-  
 dam modo hæc duæ essentielles hominis partes, citra alterius in

Dn. LANGIUS  
 protheoria  
 postula-  
 torum &  
 disputandi,  
 methodus  
 taxantur.

A

alteram

alteram actionem, in operationibus suis consentiant? qua quaestione integer controversiae status, de harmonia inter animam & corpus praestabilita, adversus quam modesta disquisitione conscripta ex parte a viro rev. est, continetur. Negatur autem in hac quaestione a celeb. Wolffio prius, uti modo in prior. diss. proluxe fuit demonstratum; posterius vero data opera ab eodem asseritur atque defenditur. Agnoscit id ipsum etiam ipse rever. Dn. Langius, quando p. 6. fatetur, *dissentientes unionem physicam negare, & metaphysicam in ejus locum substituere.* Haec ergo cum vir rever. ipse agnoscat, sui fuisse, vel ipse intelliget, officii, ut de rationibus cogitaret, quibus hanc dissentientiam a se sententiam confutaret, siquidem disquisitionem novi hujus philosophiae systematis adornare voluisset. Ille vero id, quo de ipsi cum adversario suo controversia intercedit, quodque posterior hic, ipso fatente viro reverendo, negat, inter postulata refert, atque ex illis postulatis deinceps tota sua in disquisitione conclusiones suas, quibus & falsitatem, & periculum, novae adversarii sui sententiae demonstraturus est, nescit. Quis autem insolitum hoc non miratur disputandi genus, quoid, quod probandum erat & rationibus solidis adversus dissentientem primum evincendum, in eorum classem conjicitur, quae, ut concedantur a dissentiente, postulantur, & ex quibus deinceps adversus illum ipsum disputatur, imo, si Diis placet, argumentum tandem etiam desumitur, pro impingendo dissentienti fato Stoico ipsoque Spinossimo? Et tamen vir rever. praeter superius jam allegatam de methodo demonstrativa, qua consignata sua haec protheoria postulatorum sit, assertionem hac ipsa *in disquisit. p. 5. in scholio gener.* scribit: *postulatorum horum tam luculenta est veritas ac evidentia, ut mihi non possint non dari a philosopho, imo a quolibet homine, ratione sua recte utente.* Idem autem hoc ipsum est, ac si quis hypothesebus *Tychonis de Brabe,* qua corporum mundanorum systema, adductus, & adversus *Copernici Carvesique* systema disputaturus, haec inter postulata sua referret: *terra est centrum totius universi, perpetua ita quiete gaudens, ut nec diurno circa axin suam, nec annuo circa solem, motu feratur, atque in scholio generali deinceps addicere vellet, tam luculentam postulatorum esse veritatem atque evidentiam, ut sibi non possint non dari a philosopho, imo a quolibet homine ratione sua recte utente.* Quamquam enim in eo aliqua se diffe-



differentiæ ratio prodat, quod illius rei veritas aliquantum manifestior hæce posteriori sit; quodsi tamen eum eo res nobis est, qui utrumque negat, non minus prius, quam posterior, probandum est, & æque culpandus venit is, qui illius probationem omittit, quam qui hujus posterioris confirmationem, adversus dissentientem disputaturus, negligit. Videt ergo vir reverendus, quam incongruus hic sit postulandi, eademque postulata scholiis illustrandi, modus, & quam maxime risum hæc vel leviter solum hypothesum istarum cognitione tincto moveant. Veritatis causa hæc fateri oportet, speroque adeo, non ægre hæc latum esse virum reverendum, nisi veritati ipsi se inimicum profiteri velit, quin potius errorem, hic commissum, pro suo erga veritatem amore, ingenuè agnitorum.

## §. II.

Nec enim juvat virum reverendum quicquam, quod deinceps p. 6. postulatum suum tertium in theorema convertit, ibique, animæ regimen physicum in corpus suum organicum competere, argumentis nonnullis confirmare contendit. Nam I.) putat, illud non necessitatis, sed supererogationis quasi, aliquid opus esse, siquidem *ob vim præjudiciorum* solummodo se *postulatum tertium*, quo præter alia denuo animæ regimen in corpus competere asserit, & *duodecimum*, quod de conclusionum imputatione agit, *in theoremata conversa demonstrare* velle, dicit. Quanquam autem animæ in corpus influxum argumentis probare velle superfluum merito haberi poterat, quando cum illis res nobis est, qui systema influxus defendunt; non superfluum tamen, sed necessarium maxime est, quando cum ejusmodi philosophis disputatur, qui eundem negant, maximoque vitio meretur verti, si quis ejusmodi philosophorum hypothesibus se oppositurus inter postulata, ab illis concedenda, refert, quod illi negant, illudque, quod sedulo adversus eosdem probandum, imo, in quo maximum adversus eorundem sententiam collocandum præsidium erat, vel per incuriam, vel per ignorantem elenchi, quorum neutrum tamen de viro reverendo dixerim, supponit. II.) vir reverendus ejusmodi argumentis thesin suam probat, quæ vel iterum petitionem principii committunt, vel saltem rei probandæ non satis ab omni parte faciunt. Prioris generis est, quando pro animæ in corpus probando influxu *primum argumen-*

Argumenta  
ejus, qui-  
bus animæ  
& corporis  
mutuum  
influxum  
probare  
contendit,  
examinan-  
tur.

DE HARMONIA INTER ANIMAM

tum delimit ab *unione animæ & corporis physica*, atque ex ea necessarium unius partis in alterum influxum adstruere conatur. Quando enim apud illum fundamentum quæris hujus unionis physicæ, nullum aliud suppeditat vir reverendus, quam postulatam suum, modo præced. §. adductum, idem, quasi ex eodem, repugnante & invito dissentiente assumpto, probari jam nova quædam thesis adversus eundem posset. Nec enim aliud argumentum, pro probanda physica inter animam & corpus unione, præter adductum postulatam, ullibi affert, quam quando in eodem hoc primo argumento, postquam ipse confessus fuerat, dissentientes unionem physicam animæ & corporis plane negare, metaphysica in ejus locum substituta, pergit: *hoc autem ενσημα quantum sit σιδηρόζυλον, & quam valide absurditate sua se ipsum destruat, nemo non videt.* Vix credet lector, si dixerim, non hic solum, sed & in toto spisso modestæ disquisitionis volumine, nullum aliud, quam hoc, occurrere argumentum, quo hanc metaphysicam unionem vir rever. impugnet, physicamque adstruat; & tamen ex hac assertionem argumenta sua, quibus totam harmoniæ præstabilitæ systema evertere conatur, deducit. Vix autem putaverim, tantam esse viri reverendi autoritatem suam apud dissentientem, ut de falsitate unionis metaphysicæ & veritate physicæ inter animam & corpus convinci se eo patitur, quod vir reverendus illud inventum unionis metaphysicæ σιδηρόζυλον appellat, illudque sua se absurditate ipsum destruere afferit. Imo, ne putaverim quidem, ipsum sibi persuadere virum reverendum, tantam sui esse autoritatem, ut hac sola ejus assertionem motus ille sententiam suam deserat. Facile ergo ipse videt, aliis sibi, si pro rei dignitate rem tractare voluisset, argumentis rem aggrediendam fuisse, quam ut influxum animæ in corpus ex utriusque unione physica, hanc autem ex eo solum adversus dissentientes probaret, quod metaphysica σιδηρόζυλον sit, suaque se absurditate valide destruat.

§. III.

Ejusdem tamen ponderis solum est, quod *secundo loco* assertur, pro animæ in corpus influxu evincendo, argumentum, quod quod ab experientia, sive, ut ipse vir reverendus loquitur, *ex natura omnium hominum, hac in parte equaliter sibi conscia, & hinc ex evidentissima & universaliissima experientia*, petitur. Quanquam enim

Idem argumentum continuatur.

enim vir rever. tantam fiduciam hoc in argumento collocet, ut ipso iudice, hac experientia evidentiā quamlibet veritatis geometricae evidentiā superet, certe nulli certitudine cedat; tantum tamen abest, ut hic in sententiam viri rever. concedam, ut potius ambabus amplectar illam celeb. Dn. Wolffii, qua experientia nihil aliud evinci asserit, quam motus corporis & actiones animae simul fieri, nequaquam autem eadem confirmari concedit, quod vel motus corporis producantur ab anima, vel sensationes & perceptiones animae producantur organis corporis. Ita autem verba eius sonant metaphyl. §. 520: *Wir nehmen weiter nichts wahr, als daß zwey Dinge zugleich sind, nemlich eine Veränderung die in den Gliedmassen der Sinnen vorgehet, und ein Gedanke, dadurch sich die Seele der äusserlichen Dinge bewußt ist, welche die Veränderung verursachen. Keines weges aber erfahren wir eine Würckung des Leibes in die Seele.* Eodem modo etiam operationes animae in corpus in experientia fundatos esse negat §. 536, eoque ipso nihil asserit, quod veritati ullo modo repugnet. Facile enim mihi, qua hoc argumentum, assentietur, qui modo vel propria meditatione rem accuratius persequitur, vel ea etiam pendit, quae proposui in *diss. de anima sibi ipsi ignota postea. sect. 1. §. 11*, ubi de facultate animae locomotiva, & *sect. 111.* ubi de facultate sensitiva data opera egi. Priori enim loco demonstro, ignorare animam, cum quod, tum quoque quomodo, corpus suum moveat, siquidem ignorat, quod & quomodo spiritus animales, causam omnis motus organici proximam & immediatam, moveat, quo in puncto eosdem impellat, quomodo eosdem per nervos, motus instrumenta, ad musculos ableget, quomodo nunc hunc, nunc alium, musculum subire cogat, ita ut ex proximo adjacentibus alium iidem moveant, alium autem praeterfluant, imo unum eundemque musculum nunc expandant, nunc contrahant, ut diversissimi adeo producatur motus. Ostendi, ignorare animam, quomodo in affectibus, qui a sola saepius mentis representatione oriuntur, sanguinem, & quo in puncto eundem, impellere incipiat, ut motu concitatori versus latera cordis & ventriculos confluat, ut &, quo in puncto primum impulsus faciat, quando totum corpus, quod quietum haecenus confedit, unico fere momento allevare incipit. Hac autem omnia quoniam anima nostra ignorat, imperfectior experientia nostra est, quam ut ex

eadem, animam corpus influxu physico movere, probari queat. Eodem autem modo *Sect. III.* de sensationibus idem demonstravi, ignorare scilicet animam, *quomodo* nervorum sensoriorum structura, per quos eadem species sensibiles accipit, sit comparata, tum & quomodo ipsa ex eorundem extremitatibus species easdem sensibiles excipiat, easdemque sibi perspectas reddat, num passivè se magis, an vero magis activè habeat, imo vero etiam ignorare eandem, *quod* ex nervorum extremitatibus species sensibiles in cerebro accipiat, & quæ alia ejusmodi sunt plura. Qui ergo experientia comprobatum dici potest, quod anima per sensuum organa ipsosque sensorios nervos ideas quasdam recipiat? Falluntur, mea sententia, qui eousque experientiam extendunt, nec satis accurate de arduo hoc atque subtili suo modo argumento cogitant: unde eo magis miratus sum, acutissimum philosophum & theologum, RYARDUM ANDALAM, hæc nondum perspexisse, siquidem nuper demum *in dissert. de unione mentis & corporis physica, neutiquam metaphysica, Franquegræ 29. Mart. habita, & Halæ cura Dn. LANGII recusa, p. II. §. 9. seqq.* omni studio experientiam hanc defendere & ab objectionibus nonnullis liberare conatur, eademque *p. 43. §. 63. & p. 46. §. 67.* iterum repetit. Sed & id hac in dissertatione miratus sum, pugnare virum celeb. iisdem cum Dn. LANGIO argumentis adversus WOLFFII systema, quanquam nec illum, nisi unico in loco, nec hunc, nominet. Forsan autem hoc inde factum fuit, quod ipse vir celeb. WOLFFII scripta non legit, adeoque omnia eo sensu, quo a Dn. LANGIO intelliguntur, accipit. Non obscure id insinuat vir celeb. *p. 36. §. 45.* ubi de LEIBNITII atque Dn. WOLFFII, quem sub *aliis viri cl.* nomine intelligit, sententia ita loquitur: *quia cl. quidam ipsorum antagonista ipsa eorum verba citavit*, intelligit autem Dn. LANGIUM, in modesta disquis. *inde potero tuto eorum sententiam proponere.* Unde etiam perpetuo videas verba Dn. WOLFFII ex Dn. LANGIO solum adduci, hujusque responsionem semper adjici. Nihil enim de suo vir celeb. præter exclamationes nonnullas addit, nec ullum novum argumentum adversus harmoniam præstabilitam affert. Unde cum nec WOLFFII scripta ipse legerit, nec nisi LANGIANA argumenta repetat, non est cur tantopere sibi de ejus consensu rever. Dn. LANGIUS gratuletur. Sed redeo ad experientiam. Mihi enim persuasissimum est, idque, quod ex hæcenus dictis constat, non sine rationibus

nibus experientia probari non posse, animam in corpus, & vice versa, corpus in animam phyfice agere, quoniam & quod & quomodo anima hinc corpus afficiat, hinc a corpore iterum afficiatur, anima ipsa ignorat. Nititur tamen hoc argumento *tertia* Dn. LANGII ratio, quæ a consensu omnium gentium & totius generis humani uniuersali & perpetuo defumitur. Nihil autem hic consensus omnium valet, si singulorum, experientia nondum est euicta. Quando autem vir rever. *quartum* argumentum ab huius dogmatis, de influxu scil. corporis in animam & animæ in corpus, necessitate & utilitate in doctrina morali & civili, imo & in theologia naturali & revelata, defumit, atque addit: huius enim & illius maxima pars consistere nequit, si actiones ac motus hominis, qui in corpore & per corpus eduntur, non dependent a liberrimo animæ regimine, sed a fato physico-mechanico. Nullum hic remanet imputationis fundamentum, nulla virtutum ac vitiorum forma ac norma &c. quoniam ad has exceptiones jam *diss. priori* §. 32. *seq.* responsum a nobis aliquo modo est, etiam illa ratio concidit. Dicta vero scripturæ sacræ, quæ *quintum* viri rever. argumentum absolunt, omnia forsan ex mente celeb. WOLFFII explicari commode possunt, adeoque nec hæc eundem feriunt: ut ne quid de reliquis quinque argumentis viri reverendi, minori adhuc robore gaudentibus, jam adjiciamus. Repetit tamen omnia, hæc argumenta denuo vir rever. in *der Entdeckung der falschen und schädlichen philosophie in protheor. postulat. 6. (in dem sechsten Grundsatz)* p. 50. *seqq.*

## §. IV.

Male ergo vir rever. in disputatione aduersus celeb. suum dissentientem vel supponit, quod erat probandum, vel argumentis utitur, quæ non probant, quod probare debebant. Ab hisce ergo disputandi & methodo, & rationibus, nostrum jam est, ut abstinemus, atque de aliis argumentis, quæ probandi virtute majori, si fieri potest, polleant, cogitemus. Duo autem quoniam huius systematis summa sunt capita, alterum, quod theoriam motuum corporis, alterum, quod perceptionum atque sensationum animæ, tradit, atque quoad utrumque idem a communi sententia recedit, novaque ratione & motus corporis, & sensationes animæ, explicat, dispiciendum de argumentis erit, quibus utrique hypothese occurri queat. De posteriori tamen prioris loco agemus, cum, quod facilius intelligi, quæ ad explicandas sen-

Argumenta aduersus perceptionum doctrinam afferuntur.

sensationes animæ pertinent, possunt; tum, quod doctrina de motibus corporis ex illa de sensationibus aliqua ex parte fuit. Quæ autem de sensationibus animæ celeb. harmoniæ præstabilitæ defensorum sententia sit, non est, ut prolixius hic repetatur, cum in priori modo dissertatione fusius idem fuerit ostensum. Ut in compendium tamen omnia redigamus, brevibus huc redeunt: animam sensuum ope nullas de rebus, extra eam existentibus, ideas recipere, sed omnes quascunque de iisdem sibi format, ex se ipsa evolvere, eodemque tamen simul ordine sibi eandem omnia repræsentare, quo res ipsæ sensuum corporis organa afficiunt. Huic autem sententiæ, multa sunt, quæ præter ea, quæ in priori dissertatione jam monita et de re fuerunt, opponi adhuc possunt. Cum enim et illustr. LEIBNITIVS, & celeb. WOLFFIVS, expressis verbis passim moneant, putandum non esse, quasi omnes istæ ideæ rerumque imagines, quæ in perceptionibus animæ se sistunt, formaliter jam in anima ipsa deliteant, aut ab eadem afferantur, quemadmodum picturæ a mercatoribus vel aliis quibuscunque in cistis paratæ tenentur, ut de promi exinde atque ostendi aliis, data occasione, queant, sed excitari demum formarique eo temporis articulo ab anima ipsa, quo ad organa sensuum corpora, quorum imagines sunt, appellantur; concipi jam, imo etiam ratio reddi, nequit PRIMO, unde diversissima illæ, nulloque modo sapius coherentes in anima perceptione orientur, aut quid sit, quod animam ita determinet, ut ab hac perceptione ad illam, cui cum priori nihil plane commune est, cum ad infinitas alias, cum prioribus magis coherentes, posset, naturæ veluti quadam necessitate abripiatur. Non opus quidem est, ut pro confirmatione hujus argumenti varias prolixè perceptionum species, nullo plane modo coherentes, recensereamus, cum id unumquemvis non quotidiana, sed momentanea, doceat experientia; pauca tamen deinceps dabimus: opus modo est, ut, quæ pro fundamento harum perceptionum adstruendo hinc ab illustri Leibnitio, hinc a celeb. Wolffio, afferantur, paucis referamus, atque, quæ in iisdem adhuc desiderari queant, ostendamus. Non posse harum perceptionum earundemque successione continuæ fundamentum vel in ipso rerum in mundo contingentium ordine, vel in ipso etiam corporis in mundo situ, quæri, jam supra fuit *diff. prior. §. 25. & 29.* ostensum, nec hæcenus video, quid excipi adversus ea, quæ allata ibidem sunt, sal-

Quorum  
 PRIMVM  
 a diversiffi-  
 mis & nul-  
 lo modo  
 coherentibus  
 perceptionibus  
 petitur,

va systematis analogia possit; non posse autem harum perceptionum fundamentum ne in ipsa quidem anima dari, hoc loco est evincendum. Quæri in eadem ab utroque celeberrimorum duumvirorum, ex testimoniis eorundem, l. c. §. 23. jam allegatis, itidem est manifestum, ut adeo nulla nos cogat necessitas, ut nova hic ea de re testimonia cumulemus. Frustra autem dici, quando harum perceptionum successio ex eo deducitur, quod animæ status sequens semper in priori fundetur, ita ut antecedens causa sit sequentis, sive, quemadmodum illustr.

LEIBNITIVS, loco ex Theodicea ejus allegato, ipse loquitur, *præfens gravidum sit futuro 1.) ex ipsa perceptionum, infinita fere dixerim, varietate omnium clarissime videtur probari posse.*

Cogitemus modo, quotiescunque nobis non accidat, ut v. c. in campum egressis innumera fere se nobis offerant objecta, inter quæ ne minima quædam deprehendi connexio potest, ideoque nec cogitari quidem, quomodo ex una idea reliquæ successive nasci queant, cum diversissimæ sint, nec quicquam sæpius, nisi communem conceptum entis, commune habeant. Videmus enim & solem, & cælum, & nubes, & terram, & herbas, & flores; nunc aves & apes, muscas, mures & lepores, nunc boves arantes, nunc tripudiantes, rusticos, nunc hortos nunc prata, nunc montes, sylvas, planities, nunc pascencium pecudum varia genera, nunc innumera alia, eaque eo omnia ordine, quo excitari ab invicem ideæ illæ nunquam possunt. Quid enim coelo cum bove, quid foli cum ebrio rustico, quid apibus cum monte, quid muribus cum herbis, quid leporibus cum hortis aliis? Quotiescunque enim non in comædiis atque sic dictis operis musicis, in quibus adeo varjæ sæpius scena commutatur, aliæque subinde personæ, a prioribus longe diversissimæ, succedunt, ut, quid tota sibi illa repræsentatio velit, ne callidiores quidem initio conjicere sæpius queant, ea videmus, quarum una repræsen-

Non esse autem animæ perceptiones in se invicem fundatas, prob. I.) ex infinita fere earundem diversitate.

ratio ex altera nasci nullo modo potest? aut in pictorum officinas ingressi varias ab iisdem fabulas resque gestas toto, quod ajunt, cœlo diversas, in tabulis depictas, variasque diversissimarum, ex variis vegetabilium, mineralium animaliumque generibus, rerum imagines inopinato, unamque immediate post aliam, intuemur, inter quas tamen ne omni quidem cogitationum vi nexus aliquis deprehendi potest, tantum abest, ut una imago alterius causa esse queat? Et quis negaret, in nundinis sæpius in opificum & mercatorum tabernis adeo infinitas fere se nobis obijcere res, varia instrumentorum, ad infinitos fere usus comparatorum, imo & crepundiorum, genera, ut illum pro summo omnium artificum magistro habere non recusem, qui ostendere possit, quomodo mirabundi inter hæc omnia versantis spectatoris anima ideas illarum rerum omnium, citra ullum corporis influxum, excitare sibi queat, ita quidem, ut una ex alia sequatur, atque subsequens idearum nulla alia sit, quam ipsæ antecedentes imagines, causa? Eodem modo auditum reliquosque sensus afficiunt, inter quæ nullus unquam demonstrari nexus potest. Quis nescit, quot diversissimæ sæpius in promiscua hominum plebejorum turba exaudiantur voces, dum alius hæc, alius alia dicitur atque clamatur, ita ut citius inter cœlum & terram, quam febricitantes hominum illorum voces, connexio inveniri queat? Hic si anima nullum sonum per auditus organum perciperet, qui quæso, eadem unam sensationem ex alia eliceret, aut qui eidem posteriores perceptiones ex prioribus, cum nihil illis cum his commune sit, ullo modo nasci possent?

## §. V.

Argumentum hoc ab exceptionibus Leibnitianis vindicatur.

Attulit hoc argumentum jam suo tempore adversus Leibnitium PETRUS BAILIVS, qui tamen exempla a sensu tactus potius, quam vel visus, vel auditus, quibus tamen res omnis manifestior redditur, desumit. Provocat scilicet ille ad sensationem, quibus subitaneus sæpe & immediatus ab affirmatione ad negationem, ab albo ad nigrum, a sensatione voluptatis ad sensationem atque perceptionem doloris, transitus fiat. Applicat objectiones suas, quemadmodum in reliquis, sic & hic, ad exemplum, quod sibi elegerat, Julii Cæsaris. Probabile est, inquit, Cæsarem infantem, atque a mammis maternis pendentem, inter lactandum acu compunctum sæpius fuisse, adeoque inter medias dul-



dulcissimi ex lacte gustus sensationes dolore inopinato affectum esse. Negat hic Bailius, posse ex systemate harmoniæ præstabilitæ reddi rationes, unde ex perceptione grata, ingrata, ex voluptatis sensatione, doloris oriatur sensus, cum per rei naturam fieri hic nequeat, ut status hic sequens in antecedente sit fundatus. Respondit quidem ad hoc dubium LEIBNITIVS in allegatis jam in priori diss. *responsion. anti-Beliani* p. 81. seq. edit. germ., ubi & ipsa Bailii objectio simul legitur. Sed non tollunt, quæ LEIBNITIVS ad hoc dubium regerit, rei difficultatem. Summa enim responsionis huc redit. Fingit sibi LEIBNITIVS varias perceptiones cito transeuntes easque obscuras, quæ inter voluptatis & doloris perceptionem intercedant, viamque quasi sternant, ut a voluptate ad dolorem transitus quasi fieri queat; unico autem momento easdem fieri, ideoque non satis distincte a nobis posse percipi: quales obscuras perceptiones v. c. habeamus, quando universum corpus, unico pede innixi, celerrimo motu circumagimus, ubi varias quidem imagines ab omni undiquaque larere, nullas tamen distincte, percipimus. Atque inde fieri putat, quod *immediatus* nobis a voluptate ad dolorem, ab affirmatione ad negationem, ab albo ad nigrum, transitus fieri videatur, quod interjacentes perceptiones obscuræ sint, nec distincte a nobis percipi queant. Quanquam autem, vel me tacente, quilibet facile videt, quantis fictionibus, quibus veritatis speciem nullo probabili argumento conciliare vir illustris, si viveret, unquam posset, hic iterum relinquatur locus; hoc tamen adversus hanc LEIBNITII responsionem notandum esse puto, quod, si illæ perceptiones, inter voluptatem & dolorem intermediæ, obscuræ sunt distincteque percipi nequeunt, discere placeat, unde ergo illustris LEIBNITIVS, & quotquot ejus vestigiis insistant, illas didicerint, easdemque mediatoris veluti officio inter duo extrema fungi, adeo accurate perspexerint. Quodsi enim adeo clare percipi possunt, non erunt obscuræ, quod tamen ipse LEIBNITIVS de iisdem prædicat, &, si a LEIBNITIO percipi potuerunt, quare easdem non & reliqui omnes, quotquot sentiunt, percipiunt homines, & inter hos etiam Bailius, easdemque intermedias inter dolorem & voluptatem esse animadvertunt? Vidit forsitan has difficultates celeb. WOLFFIVS, ideoque, quantum memini, nullibi ad has perceptio-

ceptiones obscuras se recipit; ipsum tamen argumentum primarium, a perceptionum consequentium cum antecedentibus nexu desumptum, retinet, idemque variis in locis metaphysices suae proponit. Præter §. 707. enim in *diff. prior.* §. 23. p. 48. iam adductam, in quo suam ea de re sententiam exponit, repetit eandem *metaph.* §. 809. ubi hæc ejus verba occurrunt: *Die Kraft der Seelen ist eine eingeschränckte Kraft (§. 783), und daher kan sie nicht allen vergangenen Zustand der Welt noch allen künftigen auff einmahl vorstellen. Was den künftigen betrifft, so kommt sie auff denjenigen, der auff den gegenwärtigen erfolget, und zwar aus keiner andern Ursach, als weil der gegenwärtige Zustand in dem folgenden gegründet ist, &c. §. 610: Was demnach die Seele von dem gegenwärtigen und zukünftigen erkennet, das ist alles in einander gegründet: Hingegen was die Einbildungs-Kraft von dem vergangenen vorstellet, ist nicht alles in einander gegründet. Denn der Grund, warumb eine Vorstellung auff die andere erfolget, ist dasjenige, was beyde mit einander gemein haben, ut alia loca plurima taceam. Cl. autem BULFFINGERVS, Leibnitii sententiam suam omnino facit in *commentar. sua hypothes.* atque ad Bailii objectiones responderet. Recenset etiam eandem, quam hæctenus adduximus, ipsius Bailii verbis p. 158. seq. ita tamen ad eam responderet, ut, me quidem iudice, non satis omnino eidem facere videatur.*

## §. VI.

Ad objectiones Dn. Bulffingeri responderetur.]

Hoc ut pateat apponam ipsa Bailii verba: *anima Julii Cesaris, inquit l. c. ille, est substantia, cui unitas comperit, si proprie loqui velis. Vis qua producere ideas potest, ex Leibnitiano systemate est proprietas natura ipsius: Potentiam vero ipsam quatenus eam possidet, & exercet, a DEO acceptam habet. Quodsi jam prima, quam in se concitat, idea voluptatis est, dici non potest, cur non & altera talis existat &c. Manifestum satis est, quis horum verborum sensus sit, & quid tota hac objectione Bailius sibi velit. Eo scilicet omnia tendunt, ut sequelam perceptionis dolorosæ ex sensatione voluptatis impugnet. Cl. vero Bulffingerus ad eam modo responderet, quod animam ideam in se excitare dixerat, negatque animam concreatam esse vim cogitandi (forasan sentiendi vir. clariss. dicere voluit, siquidem cogitandi vis utique est indeterminata) indeterminatam, hancque deinceps ipsam in se excitare primam*

*nam aliquam ideam, deinde secundam & sic porro.* Sed hæc sententia Bailii non est, siquidem ex ipsius Leibnitii mente systema hoc impugnat, ideoque nec ad hoc erat hoc loco respondendum; sed ostendendum erat, quomodo perceptio doloris ex perceptione voluptatis sequi queat, siue animæ sentiendi vis sit determinata, siue indeterminata: & cum, quando determinata illa, prout a Leibnitio factum, statuitur, res adhuc difficilior explicatu evadat, demonstrandum erat, quomodo juxta determinatam illam sentiendi in anima vim, qua status sequens ex antecedente nascitur, perceptio doloris ex perceptione voluptatis originem trahere possit. Quando vero Bailius apud eundem p. 162. urget, aliquam tamen oportere esse affinitatem inter perceptiones sibi succedentes, si aliæ ex aliis oriri debeant, admittit ea non solum vir clariss. quando inquit: *etiam nos concedimus, imo vero urgemus, rationem affinitatis servandam esse in progressu & successione perceptionum: negamus atque pernegamus, fieri posse saltum in natura, siue de corporum motu sermo sit, siue de monadum perceptionibus.* Itaque necesse est, fuisse & hujus novæ ideæ antecedentis in anima dispositiones, ex quibus ea consecuta est; sed repetit præterea etiam p. 163. Leibnitii inter ideas claras atque obscuras distinctionem, atque has dicit esse, quarum anima sibi non adeo conscia est, ut eas possit a se invicem dignoscere, paucisque interjectis pergit: *perceptionum enim obscurarum nemo sibi conscius esse potest - - Neque adeo illarum differentias convenientiasque, atque sic consecutionis modum, licet exponere.* Hæc autem si ita se habent, unde ergo earundem conscius sibi vir clariss. est, ut illas ad explicandum consecutionis modum a perceptione voluptatis ad perceptionem doloris adhibere possit? Quod si enim adeo obscuræ illa perceptiones sunt, ut distingvi aut dignosci ab invicem nequeant, imo ne conscius quidem quis sibi earundem esse possit, unde ergo vir clariss. novit, dari non solum ejusmodi perceptiones obscuras & inter claras distinctasque intercedere, sed etiam, illius speciatim eandem naturæ esse, ut medii veluti loco inter perceptionem distinctam antecedentem & consequentem sint, affinitatisque atque proportionis rationem servant, ita ut mediis his commodè ex idea voluptatis idea doloris emergere queat? Quis hic est, qui non videat, maximis fictionibus, qui inventorem tamen suum proprio jugulant gladio, locum fieri? Exemplo tamen quodam hæc explicare aggreditur vir clariss.

p. 164., ubi ostensus est, siquem, Bailianas objectiones meditationem, musca vel vespa pungeret, quæ connexio sit Bailianarum meditationum & doloris memorati? Scilicet hæc, inquit, dum Bailiana meditaris distincte, atque adeo ejus rei conscius es: alarum vespæ susurrus illabitur in aures tuas, verum minus fortiter, ut adeo, dum aliis animum rebus attendis, ejus perceptionis obscura tibi conscius non sis. Hunc, pergit, insequi demum ipsam punctiorem, sicque sibi videtur, id quod in sequentibus adhuc pluribus persequitur, ostendisse inter Bailianas meditationes & punctiorem vespæ connexionem. Verum non attendit vir clarissimus, redire eandem, quam ipse de connexionione meditationum Bailianarum & compunctiorem vespæ instituerat, quæstionem de connexionione earundem meditationum & susurri vespæ. Quæ enim hic inter meditationes Bailianas & susurrum illum connexionio? Hic scire placet, quas qualesque obscuras ideas hic excitaturus vir cl. sit, ut horum connexionem ostendere aut evincere queat.

## §. VII.

II.) quod alias homines, in perceptionibus semel consentientes, perpetuo consentirent.

Sed non opus est, ut Bailianas objectiones prolixius vindicem, cum ex propriis rationibus satis superque adsit, quod huic de animæ perceptionibus sententiæ opponi queat: afferretamen hæc eum modo in finem volui, ut ostenderem, non esse satis accurate ad argumenta Bailiana responsum, difficultatesque, quæ hic occurrunt, non imminutas, sed novis fictionibus (liceat hoc termino, citra injuriæ notam, uti) potius aduertas esse. Quod si vero tantæ difficultatis res fuit, in unico isto a Bailio allato exemplo, a sensuum fere infimo petito, affinitatem aut connexionem perceptionum ostendere; quantopere non erit dedudandum, ut in omnibus §. IV. adductis, & a primariis sensibus, visu scil. & auditu, quibus plus adhuc claritatis atque distinctarum perceptionum inest, petitis exemplis aliqua affinitatis ratio demonstraretur, cum in ipsis rebus, quæ hisce sese sensibus obijciunt, infinita fere varietas, nec tamen ullus inter easdem nexus, vel omni, etiam poetica, fictione, excogitari queat, nedum tanta conformitas, ut una perceptio causa alterius fieri possit. Sed alia adhuc suppetunt argumenta, quibus demonstrari potest, non posse animam omnes ideas ex se, citra corporis influxum, elicere ita, ut status animæ antecedens causa sit sequen-

quentis. Etenim si ita perceptiones nostræ fierent, necessario II.) *sequeretur, ut, si quando homines semel in perceptionibus suis consensissent, iidem perpetuo, per omne futurum vitæ tempus, in omnibus subsequētibz consentirent.* Rationem, qua motus ita statuum, nullam habeo aliam, quam quæ ab ipso celeb. Wolffio, alio licet sine aliaque data occasione, allegatur. Causam enim vir celeb. alicubi reddit, quare præsens mundi status, si aliter, quam nunc est, comparatus esset, omnis status antecedentis aliam etiam requireret conditionem, quam nunc fuit, dum hoc, & non alio modo, mundus se habet. Ut rem clarionem reddat, adducit ipse *Metaphys. §. 566.* exemplum aliquod, a præsentem tempestate petitum, evincitque ibidem, quod, si pluere jam deberet, cum serena sit tempestat, longe alium oportuisset fuisse statum mundi, inprimis qua tempestatates, inde a condito orbe, quam nunc fuit, dum serena jam est tempestat, addita ratione: *nemlich wenn ein vorbergehender Zustand in beyden Fällen einerley wäre; so wäre kein Grund vorhanden, warumb beyderseits ein verschiedener heraus käme,* in qua tota sententia viro celeb. assentior, certoque persuasus sum, vel non intelligere viri celeb. mentem, vel non assequi causarum naturalium naturam & nexum, quotquot hic difficultates viro celeb. creant. Patiatur vero vir celeb., ut, quæ ipse de mundo dixit, nos hic ad animam transferamus, eaque quæ de hoc non sine fundamento asseruit, eodem jure ad similem casum applicemus. Sunt ex sententia illustri Leibnitii & celeb. Wolffii, consentiente cl. Bullfingero, omnes in se ipsis ita fundatæ perceptiones, quemadmodum status mundi posterior in priori, ita ut, quemadmodum hic status prior causa est posterioris, sic etiam idea antecedens causa sit sequentis. Quemadmodum ergo alius mundi status rectissime alium longe statum, per omne temporis spatium, requirere dicitur, quam nunc fuit, vel propterea, iquod idem effectus ex diversis causis sequi nequit; sic eodem jure de perceptionibus inferre possum, quod homines qui semel aliqua in perceptione consenserunt, in omnibus subsequētibz necessario consensuri perpetuo sint, eo quod ratio alias reddi nequit, quare ex una eademque perceptione, tanquam unica specie causæ, aliæ in hoc, aliæ in illo, qua subsequente statum, perceptiones, adeoque diversissimi effectus, consequi deberent. Res ipsa sua luce radiat, dummodo quis

nervum

nervum argumenti sententiæque meæ recte assequatur. Est perceptio antecedens, ex mente systematis harmoniæ præstabilite, intuitu subsequenti idem, quod causa physica intuitu sui effectus: servant hi rationem affinitatis cum sua causa, servant & illæ; sequuntur hi necessitate naturæ ex suis causis, sequuntur & illæ ex perceptionibus aliis, iisque antecedentibus: gravidum est præsens futuro, quando de causis physicis & materialibus loquimur, ita, ut causæ effectum suum, licet non formaliter, tamen virtualiter in se jam complectantur; gravidum etiam præsens futuro dicitur, quando viris clarissimis de perceptionibus sermo est. Quemadmodum ergo hic ex eadem causa, naturaliter & per se, idem semper sequitur effectus, ita ut, si plures mundi essent, in quibus semel modo causæ physicæ, quæ omnes suas circumstantias, eodem modo compositæ a creatore fuissent, eadem semper, quoad mundi isti durarent, in omnibus illorum partibus, phænomena, nisi aliunde interturbarentur causæ, secutura essent; sic fieri etiam aliter non potest, quam ut idem in animæ conveniat perceptiones. Quoniam enim & hic modo mechanico analogo, & naturæ quadam necessitate, perceptiones ita fieri dicuntur, ut una ex alia, posterior ex priori, sequatur; fieri aliter nequit, quam ut, si semel hominum aliqui aliqua in perceptione accurate & quoad omnes circumstantias consensissent, omnes subsequentes perceptiones in illis ipsis eodem semper modo, per omne vitæ spatium, imo, quamdiu animæ eorum superstites forent, eventuræ essent. Non nego quidem, difficile cognitu esse, num alter cum altero accurate in aliqua perceptione consentiat, siquidem nemo animum alterius penetrare, atque, num ejus perceptio quæ omnes circumstantias suæ conformis sit, explorare potest: non esse etiam omnes perceptiones, quæ in nonnullis, imo plurimis etiam, conveniunt, exacte statim & quæ minutissimas etiam circumstantias sibi similes, lubens fateor, siquidem altera complexa magis, altera magis incompleta esse, altera ideam primariam, altera præter primariam etiam secundariam aliquam, complecti potest: non facile tamen evictum quis dederit, impossibile factu plane esse, ut, si inter nonnullos ea de re conveniret, exactissime conspici aliquid in perceptione iidem possent. Hoc autem semel factu, si anima ex se ipsa naturæ necessitate perceptiones suas elice-

eliceret, convenirent ambo illi in omnibus suis perceptionibus, ita ut, quicquid alter eorum videret, audiret, gustaret, olfaceret &c. id ipsum alter etiam eodem plane modo & videret, & audiret, gustaret & olfaceret, siquidem nullam hic cogitare rationem licet, quare ex eadem causa, non impedita & naturæ necessitate agente, diversus consequi deberet effectus.

## §. VIII.

Progredior autem ad *tertiam* rationem, quam *hinc ex duplici hominis statu naturali*, somno & vigilia, *hinc ex præternaturali*, morbis scilicet, speciatim gravioribus, peto. In somnis somniis sæpius nos agitari, iisque admodum ineptis minusque coherentibus, notius est, quam ut prolixius explicari opus sit. Quam inepta vero, incongrua minusque cohærentia eadem etiam sint, concedo tamen, quod nullum facile oriri naturaliter somnium queat, cui non vel proximam sensus interni, vel remotam etiam materiam externi, dederint. Largior enim lubentissime, esse somnia non nisi idearum & sensibilibus, & intelligibilibus, cerebro ante aliquod tempus impressarum, & nunc spirituum animalium motu denuo excitatarum, confusam repræsentationem, qua rerum imagines, cerebri tubulis comprehensæ, omnique procul ordine iterum excitatæ, nunc qua totum, nunc qua partes, varie inter se junguntur, combinantur, dividuntur, secantur, sicque varias repræsentationes rerum, nullibi sæpius existentium, imo nunquam antea, qua totum compositum, nec visarum, nec auditarum, effingunt. Atque hæc propter largior etiam, somnia naturaliter non nisi ex antecedentibus perceptionibus oriri, siquidem nihil in somniis nobis recurrit, quin idem sive qua totum, sive qua partes, olim in sensibus fuerit. De eo ergo nulla hic est quæstio, quomodo somnia ex perceptionibus antecedentibus oriuntur, aut quis inter has & isthæc detur nexus: de eo tamen quæstionem formare non dubito, quomodo ex confusis & inordinatis somniis, ordinatæ iterum perceptiones, quando expergiscimur, prodire queant, quis detur ab illis ad has regressus, quis inter utrumque nexus? Esse enim somnium congeriem inordinatarum repræsentationum, fatetur ipse celeb. WOLFFIUS *metaph. §. 805.* ubi expositurus, in quoniam somnium cum vigilia conveniant, in quo differant, inquit: *der Traum sey darin vom wachen unterschieden, daß im wachen die Gedanken*

III.) quod alias a perceptionibus inordinatis ad ordinatas homines nunquam redirent.

*aanhen oracentlich, im Traum hingegen unordentlich sind.* Concedit etiam, representationes istas inordinatas, quæ in somniis fiunt, in se invicem non esse fundatas, ita ut una ex alia naturaliter non sequatur. Expressis enim verbis vir celeb. *metaph.* §. 240. ubi de phantasiæ operationibus agit, fatetur: *Weil nun diese Dinge, die wir uns nacheinander einbilden, nicht in einander gegründet sind; so kan im Traum nichts in einander gegründet seyn.* Repetit eadem de imaginationis vi §. 210. & somnia tamen ex eadem oriri asserit §. 799. Cum ergo vir celeb. concedat, representationes illas inordinatas, quæ in somniis fiunt, in se invicem fundatas non esse, multo adhuc facilius, crediderim, concedet, ordinatas perceptiones, quas, quando expergiscimur, iterum incipimus, in inordinatis illis fundatas esse non posse, ita ut illæ ex his elicerentur. Quæritur ergo, unde anima, quando a somniorum ineptiis iterum in mentis quasi sanitatem asseritur, ordinatas suas consequatur perceptiones, cum nullæ sint antecedentes, ex quibus prodire eadem queant? unde ergo v. c. idea fenestræ vitrique pellucidi, item radorum solarium &c. quando ex somnio evigilamus, in quo conflictandum nobis inferno spiritibusque infernalibus fuit, ex somnio, in quo propter præsentissimum vitæ periculum ad summas angustias summumque animi mœrorem eramus redacti? Taceo alia infinita, in quibus difficilium adhuc nexum, quam inter lucem & tenebras, invenire liceat. Idem autem ferendum erit iudicium de hominibus, feбри ardenti correptis, corruptaque ex eadem imaginatione laborantibus. Non disquiro autem hoc loco, unde corrupti illi phantasiæ lusus ex perceptionibus antecedentibus oriri queant, cum æque facile idem ex eodem fundamento, ex quo somnia deduximus, explicari possit, eadem fere etiam utriusque sit ratio; hoc modo discriminis adest, quod aliquis adhuc sensuum externorum ibi usus superest, cum in somniis nullus sit, & fortior spirituum animalium commotio, cui illa in somniis aliquantum cedit: sed de eo potissimum quæritur, unde a sævo illo corruptæ phantasiæ impetu, & inordinatissimarum perceptionum continuata dudum turba, ad ordinatas perceptiones iterum detur regressus, aut, quomodo hæc ex illis nasci queant, si animæ perceptiones omnes in se invicem fundatæ sunt, atque subsequentes nonnisi ex antecedentibus aliis elici possunt? Ad perceptiones quas-



quasdam obscuras, quæ intermediæ sint inter inordinatas atque ordinatas perceptiones, & utriusque affinitatis rationem seruent, non spero, fore, ut denuo hic recurratur, cum, quam sublesta illæ fidei sint, jam §. 6. pluribus fuerit ostensum.

## §. IX.

Hæc, quæ allata hæctenus aduersus defensum a viris celeberrimis perceptionum animæ modum fuerunt, eo solum omnia tendunt, ut evincam, non esse animæ perceptiones ita in se ipsi fundatas, ut gravidum præsens sit futuro; jam vero alias adhuc, quas urgeam, habeo rationes, quo minus eo modo perceptiones animæ in genere fieri, quemadmodum a viris celeb. defenditur, hoc est, citra corporis commercium, omnisque ex proprio veluti sinu depromendo, persuaderi mihi patiar. Priora argumenta perceptionum præcipue successione; hæc vero perceptionum inprimis modum generalem impugnant. Quod si enim anima omnes perceptiones ex se ipsa eliceret, &, uti ipse celeb. WOLFFIVS loquitur, *aus ihrem Wesen herauswickelte*, ita, ut nullæ omnino essent corporis, subtilissimorumque ejus humorum, in producendis animæ perceptionibus partes, *ratio jam reddi* SECUNDO *nequit, unde fiat, quod anima quascunque, etiam subitaneas, corporis, inprimis cerebri, mutationes exacte sequatur*, adeo, ut pro diverso hujus statu in suis etiam perceptionibus se alio semper alioque modo habeat. Turbantur admodum, turbato spiritum animalium in hominis ebrii cerebro motu, animæ perceptiones, ita ut ejusmodi homines, pro diverso ebrietatis gradu, vel plane non, vel saltem non satis recte, & audiant, & videant; quandoquidem turbulentus succi nervei in cerebro motus species, uti vocant, sensibiles, a sensibus externis profectas, integras ad ipsam transire animam non patitur, sed varie easdem in via turbat, vellicat, lacerat, ita, ut confusa omnia & mirifice corrupta, animæ demum represententur. Magis autem misera fere eorum adhuc est conditio, qui febribus, delirio melancholico, aliisque ejusmodi morbis corripiuntur. Adeo enim turbulentus hic est cerebri status, ut omnibus fere perceptionibus sanioribus via sæpius præcludatur, hisque morbis correpti, quæcunque vident, in, nescio quæ, monstra, spectra, dæmones, latrones & alia ejusmodi sibi transformant, seque ipsos his representationibus ita excruciant, ut gelidus sæpe totum corpus per-

SECUN-  
DUM ab  
eo defumi-  
tur, quod  
anima statu  
cerebri in per-  
ceptionibus sequi-  
tur. Ubi si-  
mul ad Dn.  
Wolffii ex-  
ceptiones responde-  
tur.

perfundat sudor. Transpirante autem successive sicera sublatoque corrupto melancholicorum atque ægrotorum, qua cerebrum, turbato statu, sanitati suæ mens iterum restituitur, recteque denuo & videt, & audit, reliquasque sensationes, quemadmodum & cogitationes, omnes rite perficit. Non video, qua fronte quis hic negare vel velit, vel possit, sequi animam in perceptionibus suis statum cerebri ipsiusque succi nervei, nec, quam huius ipsius perceptionum animæ cum spirituum animalium & cerebri statu consensionis causam aliam, quam horum in illam influxum, reddere velit. Superfunt tamen celeb. WOLFFIO, quibus ad hæc respondere, suoque systemati adversus hoc argumentum suppetias ferre conatur. Opus ergo est, ut ipsa verba ejus audiamus. Quando autem vir celeb. rationem redditurus est, quare anima perpetuo statum cerebri nunc integrum, nunc corruptum, sequatur, non in uno acquiescit argumento. Nunc enim in eo rationem quærit, quod ab anima omnia eo ordine repræsententur, quo in corpore eadem contingunt, ut adeo idem fundamentum sit mutationis in perceptionibus animæ, quod est in corpore ipso; nunc in eo, quod alias harmonia inter animam & corpus conservari non posset, nisi anima repræsentationibus suis statum corporis sui, & speciatim cerebri, sequeretur. Priorem rationem urget §. 814. ubi verba ejus ita sonant: *Woraus denn ferner erhellet, wie durch außerordentlichen Zustand des Gehirns so wohl das Gedächtniß als die Einbildungs-Kraft verrückt werden kan, zusammt den Sinnen; wovon die Erfahrung in allerhand Fällen sehr viele Proben an die Hand giebet. Nemlich was es für Ursache hat im Leibe, eben dieselbe hat es auch in der Seele (§. 786.) als die in der Ordnung alles vorstellet, wie es im Leibe ergeheth.* Sententiam viri celeb. huc redit: esse eandem statuum consecutionem in anima, ac in corpore, ut adeo, quemadmodum in corpore status sequens fluat ex antecedente, sic & in anima posterior ex priori. Pace autem viri celeb. dicere mihi liceat, esse admodum incongruam hanc argumentandi rationem. Non negabit enim, quod persuasus certo sum, vir celeb. ipse, statum præternaturalem cerebri in ebriis & melancholico delirio laborantibus, non esse naturalem ex statu antecedenti consecutionem, siquidem ab aliis corporibus, sangvini admistis, spirituum animalium motus ita turbatur, ut præternaturalis exinde oriatur isque turbulentus succi-

ci nervei & cerebri status, adeoque nec posteriorem hunc statum in priori naturaliter esse fundatum. Quodsi ergo vel maxime viro celeb. concederemus, statum animæ unum ex alio, perceptiones posteriores ex prioribus sequi, cujus tamen solidiorem a viro celeb. probationem expectamus adhuc magis, quam speramus; ne sic tamen ratio concludendi procederet. Quandoquidem enim in corpore status præternaturalis naturalis & antecedentis necessaria consecutio non est, sed ab aliis corporibus, per accidens & extrinsece in corpus agentibus, eidem demum inducitur; aut falsum manifesto est, quod eadem sit in anima, quæ in corpore, turbatarum perceptionum causa, quoniam illa, quibus corpus in statum præternaturalem conjicitur, ex ipsa viri celeb. sententia in anima locum habere nequeunt, aut admittendum erit, partes subtilissimas corporis, chilo & sanguini admitti, eodem modo esse causam turbatarum in anima perceptionum, quo causa in corpore est turbatorum spirituum animalium, adeoque influxus corporis in animam admittendus, hujusque perceptionum status ex statu & influxu corporis erit repetendus. Cum autem posterius hocce vi principiorum suorum admittere nequeat, videbit vir celeb. pro eo, quo pollet, judicii acumine, ipse, fundamento destitui, quando de perceptionibus animæ, præternaturali cerebri statu turbatis, statuit: *Was es für Ubrsach, hat im Leibe, eben dieselbe hat es auch in der Seele*, siquidem in corpore turbati status causa est aliorum corporum, ex accidenti & præter naturæ necessitatem, factus appulsus, quem tamen in anima ipse non admittit.

## §. X.

Nec firmior tamen altera est, quam §. 816. reddit, ratio. Postquam enim §. præcedente 815. explicuerat, quam ob causam anima statum cerebri & nervorum sequi perpetuo necesse habeat, monueratque propter conservationem harmoniæ inter animam & corpus id ipsum opus esse, adeoque causam modo finalem tradiderat, quæ pro explicatione autem causæ physicæ & modi, de quo queritur, non sufficit; ita tamen §. 816. pergit, ut non obscure causam hanc loco causæ physicæ urgeat. *Derowegen, inquit, da mau den außerordentlichen Zustand der Nerven und des Gehirns durch Artzeney besern, oder wiederumb in seinen vorigen Stand bringen kan, wie uns die Erfahrung lehret; so muß alsdenn*

Ad alias ejusdem viri celeb. objectiones quædam regeruntur.

*auch nach geschehener Verbesserung, wegen beständiger Harmonie der Seele mit dem Leibe, die Seele gleichfalls aus ihrer Unordnung wieder in den Stand ordentlicher Empfindungen gesetzt werden.* Novit autem ipse vir celeb. maximo vitio in rebus physicis verti, si quando inter argumenta probantia, quibus modus rei describendus est, causæ finales allegantur. Ab omnibus certe exploderetur, si quis rogatus, quare ignis urat, responderet, ut accendere & comburere corpora inflammabilia queat, item quare falia pungant, responderet, ut saporem producere possint, aut, quare specula rerum imagines adeo exacte referant, interrogatus, regeretur, fieri, quo distincte videri ab aliis eadem queant. Eodem tamen vitio laborat viri celeb. ratio, quando causam redditurus, quare anima corporis statum suis in perceptionibus, imo & cogitationibus, sequatur, respondet, fieri, quo harmonia inter animam & corpus conservari hoc modo possit. Quid? quod adhuc labore majori. Queritur enim, num talis harmonia, qualis a viro celeb. describitur, inter animam & corpus detur, vi cuius nullus, nec corporis in animam, nec animæ in corpus, adit influxus; atque inter alia, quo falsitas systematis ostendatur, hæc etiam adversus virum celeb. affertur ratio, quæ a turbatis animæ perceptionibus, ex turbato succi nervei motu oriundis, & restitutis iterum, post horum factam restitutionem, petitur, urgeturque eadem vir celeb. ut suo ex systemate tradat, quomodo confessionem hanc animæ cum sui corporis statu explicare velit. Ille autem post aliam levisimam causam regerit, fieri, quia harmonia alias inter corpus & animam, ea scilicet, quæ ab ipso defenditur, conservari nequeat: quod ipsum idem est, ac si dixisset, fieri hæc propterea, quoniam alias systema suum sibi nec constaret, nec subsistere posset. Num hoc ipsum momentum dubium sustulisse, satisque eidem, quo minus sententiam adversam destruat, fecisse, non opus est, ut prolixè inquiretur, cum sua luce responsionis imbecillitas radiet. Accedit, quod nec restitutionis modus eadem ratione, quem admodum in corpore contingit, in anima fieri queat. Corpus enim vel medicaminibus iterum sublevatur, vel sine his etiam propter continuam agitationem, transpirationem novorumque humorum in singulis partibus successione, integritati suæ red-  
ditur; quæ tamen omnia in animæ perceptionibus ne cogitari  
qui-

quidem pollunt, adeoque nec ratio reddi, quomodo ex perceptionibus corruptis turbatisque integræ atque rectæ denuo sua proficisci sponte queant. Unde patet, quod nec hic vir celeb. ad principium antea allatum, quod scil. eadem sit mutationis ratio in anima, quæ in corpore, se recipere possit. Quando vero vir celeb. in eodem §. adhuc adjicit: *Man muß hier und in andern dergleichen Fällen beständig mercken, daß, wie schon oben (§. 753.) erinnert worden, alles, was in dem Leibe geschieht, von einem einfachen Wesen kan vorgestellt werden: Das Bild richtet sich gantz nach der Sache die es vorstellet. Nämlich weil es möglich ist, daß unter den ordentlichen Bewegungen im Leibe und insonderheit im Gehirn, auch außerordentliche sich ereignen können, und die unordentlichen sich wieder in Ordnung bringen lassen; so ist auch möglich, daß in der Seelen die Vorstellungen davon in einer solchen Ordnung erfolgen können, id modo repeto, quod in priori dissertatione suo jam loco monitum fuit. Scilicet posse animam corpus ejusque statum repræsentare, id nemo negat, nisi qui experientia omni refragari impudenter sustinet, adeoque de hoc ipso hic non quæritur; sed de eo quæritur, num anima citra corporis influxum omnia, quæ in corpore fiunt, repræsentare queat, atque hoc est, quod vir celeb. nec hoc loco probat, nec §. 758., quemadmodum jam supra monitum, probavit, forsan & nunquam probabit. Quibus observatis non ea solum coincidunt, quæ in hoc §. 816. adjiciuntur; sed ea etiam, quæ §. 817. fusius de eodem argumento explicantur, frustra simul dicuntur. Multis ergo modis, quicquid a viro celeb. pro thesi sua probanda affertur, & deficit, & fallit.*

## §. XI.

Non elici omnes præceptiones ab anima ex sua ipsius essentia, citra rei cujuscunque extrinsecum influxum, TERTIO ex eo probo, quod perceptiones atque sensationes non continua serie atque ordine nunquam interrupto fiunt, sed infinitis fere cogitationibus, creberrime de variis rebus susceptis, singulis fere momentis, interruptantur. Nulla ergo ratio reddi potest, partim unde perceptiones illæ ex se invicem consequi queant, cum liberrimæ perpetuo cogitationes, volitiones, meditationes, decreta, aliaque ejusmodi plura, inter perceptionem & perceptionem intercedant, earumque vinculum quasi perpetuo rumpant; partim explica-

TERTIUM argumentum, quod ratio nulla est, quæ ordo perceptionum a liberrimis cogitationibus nunquam disturbaretur.

ri nequit, qui fieri possit, ut, non obstantibus infinitis fere istis interruptionibus, adeo constanti tamen ordine sibi perceptiones invicem succedant, ut eo præcise momento, quo repræsentationes in organis sensuum contingunt, perceptiones etiam in anima fiant, atque ne momento quidem temporis nec tardius, nec citius, in eadem perficiantur. Concipi hæc fateor possent, si anima, tanquam compositum ex duplici automatico, conciperetur, quorum alterum perceptionibus, quæ necessariæ sint, alterum cogitationibus, quæ libere fiunt, esset destinatum. Nunc vero cum ex ipsa virorum celeberrimorum sententia una eademque numero anima sit, quæ & percipit, idque necessitate naturæ, & cogitat, idque arbitrii libertate, ratio, & successione idearum, & consensionis perceptionum animæ cum repræsentationibus corporis, reddi nulla potest. Aut enim asserendum est, etiam cogitationes modo automatico, id est necessario, fieri, aut fatendum, cogitationibus liberis ita turbari perceptionum ordinem, ut nec inter se, nec cum corporis organis convenire eadem adeo exacte queant. Quoniam enim cogitationes animæ nullis regulis alligantur, perceptiones autem alligantur, impossibile est, ut utriusque ejusmodi quoddam temperamentum fieri poterit, quo nec cogitationes in sua libertate, nec perceptiones in sua successione necessitate, inprimis cum in substantia simplicissima omnia fiant, a parte alterutra interturbarentur. Huic rationi accedit QVARTO, quod, si omnes perceptiones affinitatis rationem inter se servarent, secuturum necessario esset, ut, quotiescunque eadem numero res, quarum perceptiones ante aliquod tempus habuimus, ab anima nostra iterum repræsentarentur, eadem etiam sensationes, quæ tum temporis hæc perceptiones vel comitatæ, vel infecutæ fuerunt, eodem etiam ordine denuo easdem consequerentur, adeo, ut ne minimum quidem discriminis observare inter illas liceret. Sic v.g. si domum quandam, templum, hortum, montem &c. jam ante aliquod temporis spatium anima sibi suis in perceptionibus repræsentasset, sequeretur necessario, ut, recurrente alio tempore ejusdem domus, templi, horti, montis &c. eodem modo, quemadmodum antea fuerat factum, perceptione, hanc ipsam eadem infecerentur perceptiones, quæ ante aliquod tempus infecutæ eandem fuerant. Ratio enim reddi nequit, quare ex eadem causa, uno plane eodemque modo se habente,

Argumen-  
tum  
QVART-  
TVM.

bente, diverso tempore diversus plane provenire deberet effectus, quemadmodum ex ipsa celeb. Wolffii sententia jam supra monitum fuit. Hoc autem modo si perceptiones nostrae fierent, perpetuus tandem fieret perceptionum circulus, siquidem eadem recurrens perceptio eandem perceptionum aliarum catenam, quae prima vice eandem insequeretur, secunda denuo, tertia & quarta vice, imo quotiescunque recurreret, post se traheret, & postquam semel modo perceptio quaedam, jam olim ab anima facta, rediisset, perpetuo rediturus idem perceptionum circulus esset. Falsa autem haec omnia esse, vel sola experientia, omnium hic optima rerum magistra, quemcunque sui conscium docet. Sed urgeo & QUINTO, quod, si eo modo, quemadmodum a defensoribus harmoniae praestabilitae explicantur, animae perceptiones fierent, *nullum anima discrimen facere possit inter novam perceptionem rei jam antea aliquando perceptae, & ejusdem reminiscentiam*, sive repraesentationem, a sola memoria vel phantasia, citra objecti externi praesentiam, factam. Saepius enim v. c. accidit, ut aedes aliquas, plantitiam, campum, hortum &c. bis, ter, iterumque videamus, saepius etiam evenit, ut eadem illa nobis solius phantasiae ope iterum repraesentemus. Hic vero, si omnium rerum ideas anima ex sua essentia eliceret, nullum anima assequeretur discrimen inter novam perceptionem rei jam antea cognitae, & memoriam ejusdem sensualem sive repraesentationem imaginariam, semperque adeo haesitandum animae foret, num rem illam denuo videat ipsoque actu percipiat, an vero, citra ipsius rei praesentiam, imaginem ejus phantasiae ope sibi solummodo sistat. Nec video, quali criterio uti anima vellet, ut distingvere haec duo posset, quae tamen jam vel simplicissimus quisque multo sine labore distingvit. Aequè enim ex essentia sua eliceret anima rei jam olim visae novam repraesentationem, quam phantasiam dicimus, ac ejusdem novam repraesentationem, quam perceptionem & sensationem appellamus. Dubius itaque futurus esset omnis sensuum, juxta hoc systema, usus, semperque fluctuandum animae foret, si quando rei jam cognitae imago se denuo eidem sifteret, num objectum extra corpus suum ipsum praesens sit, an vero repraesentatio illa soli imaginationi veniat tribuenda. Nec tolleretur incertitudinem, quod in perceptionibus nos magis passive, in imaginationibus autem & phantasiae repræ-

Argumentum  
QUINTUM.

repræsentationibus magis active habemus: sapius enim adeo immergimur phantasiæ lufibus, ut, num active, an passive nos in iisdem habeamus, sapiuscule ipsi ignoremus. Quid? quod & multæ phantasiæ imagines se nobis, mere nos passive habentibus, sapius offerant, quando idea ideam cognatam protrudit, eandemque nobis, nihil tale vel cogitantibus, vel volentibus, sapius & invitis, ficit. Et quanquam ideæ, quæ a phantasia originem ducunt, claritate sapius illis, quæ ex perceptionibus procedunt, cedant; non universale tamen idem quoad omnem actum apud omnes est, siquidem multi repræsentationibus phantasiæ adeo vivacissimis gaudent, ut vivaciores ne ab ipsis quidem sensationibus expectari queant, in somniis etiam adeo claræ nonnunquam illis repræsentationes contingunt, ut sensationibus claritate nil quicquam cedant. Ab his ergo saltem nullum inter imaginationes, somnia, & sensationes discrimen attendi aut quocunque modo deprehendi posset, si citra sensuum influxum hæ non minus, quam illa, fierent, sensuumque omni adeo certitudine iidem destituerentur, quod tamen aliter fieri experientia docet. Accedit, quod sensuum certitudo in genere deficeret, siquidem semper metuendum nobis foret, annon aliquis, licet vel levissimus saltem, in repræsentationibus animæ fuerit factus saltus: tum enim semper aliæ se nobis res offerrent, quam quæ extra nos præsentis sunt, aut alio saltem tempore; adeoque de omni sensuum certitudine foret actum.

## §. XII.

Argumen-  
ta adver-  
sus motu-  
am corpo-  
ris theori-  
am affe-  
runtur.

Sed prolixius forsan, quam opus videri poterat, de sensationibus dictum est: postulat ergo tractationis ordo, ut in *alterum* etiam *systematis* hujus *caput*, quod corporis motus explicat, jam inquiramus. Sententia ejus, id quod ex prioris dissertationis §. 30. & seq. jam constat, brevibus huc redit: non regi moverique physico quodam influxu ab anima corpus, siquidem nulla illius sit in illud ipsum vis atque potestas, sed avtomatarum corpus nostrum esse, quod ab aliis solum corporibus, in organa ejus sensoria agentibus, moveatur; Deum tamen, summum utriusque artificem, ita omnia ordinasse, ut motus hujus machinæ corporeæ animæ desideriis decretisque liberissimis semper respondent, hocque modo harmonia inter animam & corpus perpetuo conservetur: quandoquidem autem corporis motus adeo exacte cum



cum decretis animæ ejusque movendi voluntate consentiant, videri sibi animam se ipsam corpus movere, fallique adeo nos, si experientia, animam corpus movere, comprobatum putemus. Hæc brevibus summa est totius sententiæ, quam verbis Leibnizii & celeb. Wolffii l. c. probavimus. Quanquam autem, quæ de experientia hic monentur, quemadmodum jam supra observavi, vera esse non nego, nisi animam, qua facultatem suam locomotivam, ignotam sibi esse, id quod tamen multis rationibus in *dissert. de hoc argumento posterior. Sect. I. & II.* demonstravi, negare iterum velim, adeoque eatenus a sententia rever. Dn. LANGII, forsitan & multorum aliorum, qui in experientia sua id quod clarum perspicuumque est, ab eo, quod obscurius minusque apertum, nondum distinxerunt, recedo; qua caput tamen rei, modum scilicet, quo viri celeb. motus corporis explicant, physicis rationibus ductus, dissentio. Dabo, citra ambages, quæ mihi in contrarium urgeri posse videantur: eo autem omnia tendent, ut impossibilitatem ejusmodi machinæ, qualem corpus humanum esse, & ejusmodi motus, qualem in eodem fieri viri celeb. sibi persvadent, quam maxime fieri poterit, clare & perspicue evincam. Quo minus ergo corpus humanum, citra animæ operationem aut influxum, ab aliis solum, idem circumstantibus corporibus, & in organa ejus sensoria operantibus, ad omnes motus, animæ voluntati conformes, moveri queat, obstat PRIMO, quod ex motibus istis corporum circumstantium generalibus, & in organa sensuum agentibus, nunquam speciales isti motus, quos in corpore nostro produci videmus & quotidie animadvertimus, produci omnes possunt. Quoniam autem de possibilitate hic sermo est, opus est, ut distincte, quænam hoc in casu possibilia sunt, cognoscamus, quo exinde de eo quid impossibile sit, judicium ferri eo melius queat. Non nego autem possibile esse, Deum corpus nostrum ita condere potuisse, ut ab aliis corporibus, non affici solum, sed & in suis sensuum organis aliquem spirituum animalium motum perpeti posset; nec nego, posse spiritus animales, tanquam subtilissimas corporis partes, in sensuum organis concitatos, & in motum eo, quo diximus, modo redactos, motum ad cerebrum continuare; quin nec id nego, posse spiritibus animales, ex sensuum organis ad cerebrum citato motu confluentes in alios succi nervei partes ibidem motum suum trans-

Et quidem  
PRIMUM,  
quod ex  
appulsu  
corporum,  
in sensuum  
agentium,  
generali,  
speciales  
omnes cor-  
poris motus  
confer-  
qui non  
possunt.

ferre, quo illæ hoc modo ad alias corporis partes avolent, hæcque tum aut illos ejusdem artus, prout eorum dispositio mechanica patitur, hoc vel illo modo movere. Quid? quod hæc omnia non possibilia solum esse, sed & quotidie fere nostro in corpore contingere, lubentissime concedam, siquidem in his, quotquot systema influxus defendunt, omnes conveniunt: negotium autem, factu possibile esse, ut corpus omnes motus suos, etiam liberrimis animæ decretis conformes, hoc & non alio modo perficiat. Etenim generalis solum est corporum externorum ad organa sensuum appulsus, generalis etiam solummodo est spirituum animalium exinde oriundus in cerebro motus; cur ergo spiritus animales, in cerebro in motu positi, ad hos potius, quam alios corporis artus ex cerebro ablegentur, illius fundamentum nec in spiritibus animalibus, nec in corporibus extrinsecus motuentibus, quæri potest. Non in illis, quod illi per suam naturam indeterminati sunt, atque æque facile hos, quam alios nervos subire possunt; non in his autem, partim quod hæc ipsa non ipsas nervorum motoriarum extremitates in cerebro, sed organa sensoria solum extrinsecus afficiunt, quorum nervi partesque interiores eundem ad omnes nervos cerebri respectum, illimitatam cum omnibus communionem, & indefinitam ad omnes in genere relationem habent, ut adeo spiritus animales in illis ad motum concitati, æquali modo omnia nervorum officia in cerebro afficiant, aut afficere saltem possent, adeoque ratio ex eo dari nequeat, quare nihilominus diversis temporibus nunc hos, nunc illos, fortius subeant nervos; partim quod idem corpus sæpius idem organum sensorium eodem modo afficit, & diversus tamen exinde sequitur in partibus corporis motus. Cum ergo nec in spiritibus animalibus ipsis, nec in corporibus, sensus afficientibus, ratio determinationis esse queat, & spiritus tamen animales nunc hoc, nunc alio modo, prout scilicet animæ id requirebat voluntas, in cerebro ad membra corporis determinantur, oportet principium aliquod determinans adesse cerebro, a quo spiritus animales in motu suo ita dirigantur, ut illos corporis artus moveant, eoque speciatim modo, quo anima illud fieri cupit, sive DEUS illud sit, sive ipsa anima, sive spiritus quidam alius. Hæcenus enim parum curo, quis moveat, dummodo eventum dederim, corpus a corpore determinari ita non posse, ut animæ decretis motus ejus respondeant.

§. XIII.

## §. XIII.

Celeb. quidem Wolffius putat se rem omnem exemplo quodam conficere posse, quod desumit ab homine, qui tormentorum explosione, etiam vel maxime invitus, omnibusque viribus reluctans, ita terretur, ut manus pedesque subito moveat, nec, quantum etiam cunque laboret, continere illos a violento motu potest; sed facilis est ad hoc exemplum responsio. Audiamus modo prius ipsa viri celeb. verba. Ita autem metaphys. §. 776. ille: *Wir finden öfters, daß nicht allein ohne, sondern gar wieder den Willen der Seelen, hin und wieder Bewegungen in unserm Leibe erfolgen, wenn wir etwas sehen oder hören. z. E. Es ist einer gewohnt für dem Schießen zu erschrecken. Er stehet weit hinter dem Stück, und bedecket, daß die Kugel die vorne heraus gehet ihn nicht treffen kan. Er begreift, daß, wenn auch gleich durch einen unvermutheten Unglücks-Fall das Stücke zerspringen solte, er doch so weit davon weg sey, daß es ihm keinen Schaden thun kan. Er lachet sich selber aus, daß er sich vor dem Schuß gefürchtet, und nimmet ihm vor, itzund dergleichen nicht zu thun. Allein kaum höret er den Schuß, so fährt er auf, hebet die Hände in die Höhe, und setzet die Füße zurücke. Hier ist klar, daß ohne Zuthun der Seele (welches auch diejenigen erkennen müssen, die einen natürlichen Einfluß behaupten) die Bewegungen in dem Leibe erfolgen, und durch den Schuß erregt werden.* Videtur sibi vir celeb. in hoc exemplo invenisse, quo clare sententiam suam probare possit. Postquam enim §. 845. de eorum sententia dixerat, qui influxum animæ in corpus defendunt, ita de iisdem ibidem pergit: *In einigen Fällen, da ihnen zur gnüge bekannt ist, daß die Seele sich nicht drein mengen kan, geben sie selber zu, daß aus denen durch den Eindruck in die Gliedmaßen der Sinnen erregten, und biß ans Gehirn fortgesetzten Bewegungen andere in gewissen Gliedmaßen erfolgen können, dergleichen Exempel schon vorhin (§. 778.) angeführet worden.* Was sie also in einigen Fällen annehmen, das nehmen wir in allen an, weil es in einem Fall so viel Grund vor sich hat, als in dem andern. Quoniam ergo vir celeb. putat, eodem modo, quem ipse exemplo suo illustraverat, omnes motus corporis fieri, adeoque possibilitatem rei saltem extra controversiam positam esse, perivasus est, dicendum est paucis, quid in hoc exemplo adhuc desideremus. Duo autem sunt, quæ ad idem illud respondeo.

Ad exceptiones Wolffianas respondetur.

D 3

Ete-

Etenim 1) negari adhuc poterat, fieri illam commotionem corporis sine animæ influxu, vel propterea, quod, si a solis spiritibus animalibus, in organis sensorii commotis, motumque ad cerebrum continuantibus, & ex cerebro in membra corporis influentibus, membrorum istæ commotiones penderent, eadem necessario apud omnes circumstantes, integris illæsisque sensibus gaudentes, contingerent, saltem apud eos, qui simili cum altero illo corporis temperamento sunt, cujus tamen contrarium toto die apparet. Quodsi enim hic omnia a spirituum animalium facta commotione unice pendent, quæritur, quifiat, cum omnium, quotquot adsunt, auditus organum sonitus ille eodem modo feriat, motus etiam apud omnes ad cerebrum feratur, ut hic tamen solum manibus pedibusque moveri incipiat, alteri immoti adsint. Videtur potius ex hoc exemplo manifesto animæ in corpus dominium probari posse, adeoque ejus, quod celeb. Wolfius eo defendit, plane contrarium, siquidem nulla alia ratio reddi potest, quare hanc tormenti explosionem in unico illo corporis ista commotio comiteretur, in reliquis minus, quam quod horum anima constans sibi magis est, nec facile in timorem conjicitur; illius autem adeo timida, ut vel data opera se ab eodem liberare facile nequeat: inde illa spirituum animalium impetum sustinet, præterquam ut corpus suum ipsa commota moveat; hæc autem, quamprimum ipsa a spiritibus animalibus afficitur, corpus suum subito simul movet. 2) Si vel maxime concederetur, quod concedi tamen ob rationem allatam nequit, moveri hic corpus, eo, quo celeb. Wolfius putat, modo, non sequitur tamen, licere ab hoc motu ad omnes corporis motus concludere. Illud enim non negatur, posse corpus violenta quadam ratione ita affici, ut spiritus animales non in cerebro solum commoveantur, sed motum etiam per totum corpus, vel invita maxime anima, continuent, adeoque corpus ejusque membra moveant; sed eo ipso nondum probatum est, posse corpus nostrum ab aliis corporibus ita moveri, ut motus exinde prodeant, animæ voluntati conformes, aut spiritus animales ab iisdem ita determinari, ut illos speciatim corporum artus, artuum articulos, articulorum musculos, moveant, quos anima moveri cupit. In dato enim exemplo nulla fit specialis succi nervi determinatio, sed totum contremiscit corpus, brachia autem pedes-

pedesque, quod a reliquo trunco prominent, forsan & quod majori fucci nervei copia abundant, distinctius atque conspicuo magis modo moventur. Non obstante ergo hoc viri celeb. exemplo nostrum adhuc immotum argumentum manet, manebit quoque, quamdiu specialior causa determinationis, quare nunc hos nunc alios nervos subeant, cum alios, imo & omnes, subire spiritus animales possent, dari nequit.

## §. XIV.

In confirmanda ergo nostra sententia pergimus. Obstat enim sententiae illustris Leibnitii atque celeb. Wolffii SECUN-  
DUM quod *motus corporis nostri saepius sunt, quando nulle sensationes, hoc est, nulli spirituum animalium motus in organis sensuum facti, praecesserunt*; ergo corporis motus omnes ab his generatim derivari nequeunt. Id quidem lubentissime concedo, spiritus animales semper in cerebro in motu positos esse; concedo & id, quod illi ipsi motus fortassis a sensibus maximam partem originem ducant; id tamen mihi iterum celeb. harmoniae praestabilitae patroni concedent, non moveri semper eodem modo spiritus istos animales, sed nonnunquam plurimum a motu suo remittere, motumque aliquem, quem aequilibrii dicere liceat, in cerebro saepius fervare: concedent & id, quod, quotiescunque spiritus animales corporis artus, ut pedes, brachia, manus &c. movent, toties in vehementiori positi motu sint, quam quando in cerebro modo hinc inde aequabili motu feruntur: pro hypothesi sua autem & id concedant necesse est, ut, quotiescunque iidem motu concitato magis agitari incipiant, ab aliis iidem corporibus, motum hunc imprimantibus, fuerint concitati, siquidem ipsi materiam rem mere passivam esse, concedunt. vid. Dn. WOLFFII *metaphys.* §. 622. Negari etiam nequit, quod in meditando cuius totum extrinsecus requiescit corpus, spiritus animales aequabili solum in cerebro ferantur motu, aut, si in reliquorum etiam membrorum musculis & nervis, quod tantus tamen ille non sit, quantum ad motum membrorum requiritur, opusque adeo impulsu aliunde facti sit, si iidem vel ablegari in totum corpus, vel membra ejus fortius movere debeant. Jam vero quis est, qui nesciat, accidere saepius, ut quis vel spissis circumdatus tenebris, vel oculis saltem clausis, quiesca ita nocte fruatur, ut nec videat, nec audiat quicquam, nihilque corporum reliquos corporis sensus,

SECUN-  
DUM  
quod cor-  
pus no-  
strum saepe  
moveretur  
sensibus  
quiescenti-  
bus o-  
mnibus.

fus, gustum, olfactum, tactum, afficiat, sed meditationibus suis deditus, quierus, totus quantus, mensæque quasi affixus sedeat. Mediis autem in meditationibus, mediaque in sensuum omnium supina quiete, recordatur, esse hoc vel illud adhuc agendum, esse litteras v. c. adhuc ad amicum dandas, esse has vel illas res domesticas adhuc curandas; resilit ergo, pedes lacertosque movet, festinat, discursitat, maturat opus, tandem remittit, quieti se iterum dat; quamprimum vero nova recordatio, aut animi etiam aliquod propositum accedit, toto iterum corpore assurgit, de loco se in locum movet, aliaque infinita plura suscipit. Hic liceat mihi discere, cum nihil sit, quod in organa sensuum operetur, corpus tamen integrum assurgat, membra se fortius moveant, & a spiritibus animalibus agentur, sola hac animæ facta recordatione, citra ullius corporis externi influxum; quid hic sit, quod moveat, aut unde hunc motum corpus hæctenus quietum recipiat, quo medio spirituum animalium æquilibrium in cerebro tollatur, fortiorique iidem agitatione commoveri incipiant. Scilicet recurrendum hic erit ad occultam aliquam corporum circumstantium in organa sensuum actionem, quemadmodum in argumento de sensibus ad obscuras Leibnitius se recipit perceptiones, si consulere honori systematis sui ejusdem patroni velint: non enim video, quid, nisi se huc receperint, ad hoc argumentum respondere vel velint, vel possint; sed sic novum suum systema vel ipsi fictionibus suis variis eo facilius reddent suspectum. Nulla ergo dari ratio potest, hoc juxta systema, quare spiritus animales, ad motum remissiorem in cerebro meditantis redacti, nullo licet accedente, aut in sensus incurrente corpore, fortius tamen moveri incipiant, sola cogitatione & voluntate animæ exorta. Quocumque se ergo harmoniæ hujus defensores vertant, vel ad fictiones, quibus nullo argumento veritatis speciem conciliare poterunt, erit confugiendum, vel thesis illa primaria systematis, quoad caput de motibus corporis, qua corpus ab aliis corporibus, in sensuum organa operantibus, moveri dicitur, publica confessione deferenda, atque operatio animæ in corpus, nisi ad occasionalistarum castra transire velint, agnoscenda erit.

## §. XV.

Fluit ex hoc argumento TERTIO aliud, quod non minori probandi robore gaudet, imo & principiis virorum celeberrimis domestice exacte convenit. Quodsi enim corpus nostrum non nisi ab aliis corporibus, in sensuum organa agentibus, moveretur, fieri aliter non posset, quam ut iisdem manentibus objectis, eadem semper contingerent motus, siquidem alias, si contrarium his eveniret, diversi ex una eademque causa sequerentur effectus, quod tamen nec per principia celeb. Wolffii concedi, nec per rei naturam fieri, potest. Ut autem hujus argumenti vis distincte pateat, tria putaverim necessitate physica secutura fore, si modo, a viris celeberrimis defenso, corpora nostra moverentur. Etenim primo sequeretur, ut, quamdiu unum idemque manet objectum, unus etiam solum, æqualis & homogenus sequeretur corporis, vel inquiete, vel in motu positi, status, adeoque ratio reddi non posset, quare, non mutato licet objecto, ipse tamen mutaretur corporis status, novusque in eodem, non accedente novo objecto, in sensus agente, excitaretur motus. Sic ponamus v. c. astronomum multa nocte defixum esse in contemplando, ope tubi optici, orbe Saturni. Incidit, quamdiu id agit, nullius, præterquam Saturni, corporis imago in ejus oculi fundum, totus etiam adeo est in rem illam attentus, ut nec limbum lucidum, nec satellites Saturni, nec stellas proxime adjacentes fixas, videat aut contempletur: multa etiam nox est, & adeo tranquilla tempestatas, ut ne foliorum quidem aut lenissimæ auræ strepitus auditus organum feriat, nec reliqui sensus ab alio corpore, quam a quo per omne contemplationis tempus affecti fuerunt, tanguntur. Hic ergo, si corpus solum ab aliis in sensus agentibus moveretur corporibus, nec surgere, nec quieti se dare, astronomus posset, sed tubo affixum sola aurora depelleret, & vinculis quasi hætenus constrictum liberaret. Aut enim effectus hic admitendus erit sine antecedente causa, aut diversus effectus ex una eademque causa, aut fatendum, non posse astronomum ante auroram corpus suum allevare, seque cubitum conferre. Cum enim hic una semper eademque causa maneat, eadem etiam uno semper eodemque modo in oculum astronomi agat, nullus sensuum etiam alius, præter oculum, a corpore quodam quocunque modo afficiatur; quæ ratio erit, ut astronomus, postquam

TERTIUM, quod sic iisdem manentibus objectis, in sensus agentibus, eadem semper etiam contingere in corpore motus.

E

desi-

desiderio suo satisfecit, furgat, atque finem contemplationum  
 faciat? Quid? quod ex systemate hoc notum sit, statui a viris  
 celeberrimis, quod corpora mundana semper in organa sensuum  
 agant, pro situ corporis in mundo. Causa ergo, quare hoc vel  
 illo modo a corporibus mundanis sensus afficiantur, est corpo-  
 ris in mundo situs, & tamen idem situs etiam effectus est opera-  
 tionis corporum in organa sensoria factæ. Quandoquidem ergo  
 alius in corpore motus consequi nequit, nisi alium corpus acce-  
 perit in mundo situm, hic ipse autem situs, a priori diversus, con-  
 sequi nequit, nisi alio modo corpora mundana sensus affecerint,  
 siquidem alias iterum ex una eademque causa, eodem mo-  
 do agente, præter omnem rationem diversus sequeretur effe-  
 ctus; perpetuus emergit in reddenda ratione motus circulus, qui  
 quo modo tolli queat, nondum video. Quodsi enim v. c. sur-  
 dus natus, visu autem integro gaudens, ædificium aliquod curiosi-  
 tatis gratia attente contempleretur, aut in ædificio isto unicam  
 modo notatam dignam partem, sensus ejus reliqui autem a nullis  
 oriundo spirituum animalium motu, omnis corporis effectus ex-  
 spectanda locomotiva; ut autem moveri posset, alio prius opus  
 foret corporis & oculorum (situs, ut ab alio objecto affici oculi  
 possent, situs autem ille alius & a priore diversus jam motum  
 corporis supponit, siquidem sine motu alium situm consequi  
 corpus nequit. Vitiosus ergo hic concurrens probationum cir-  
 culus, dum situs ratio ex locomotiva, & locomotivæ ratio ex  
 diverso situ probanda necessario venit, quod totius hypotheseos  
<sup>videlicet</sup> facile prodit. Sed & id *secundo* sequeretur, ut omnia illa  
 corpora, quorum sensus æqualiter a corporibus mundanis afficiun-  
 tur, æquali semper ratione moverentur, quod tamen falsum esse  
 experientia docet. Quoties enim cunque non accidit, ut plu-  
 res in unam rem intenti eadem & videant, & audiant, in reli-  
 quis autem sensibus vel plane nullam, vel æqualem tamen mu-  
 tationem subeant, in quorum tamen corporibus diversissimus se-  
 quitur effectus, prout scilicet objectum illud non sensus, sed  
 mediantibus sensibus animam, afficit. Alius enim rem attoni-  
 tus miratur, alius præ gaudio & admiratione lacertos tollit, pal-  
 mas collidit, alius leniter solum subridet, alius loquitur, alius  
 tacet, alius hæc, alius alia, ore verba profert, cum tamen in omni-



mnibus una fuerit, quæ sensa eorum affectit, causa. *Tertio* etiam sequeretur, ut recurrente eodem objecto, in sensus agente, idem etiam semper recurreret in corpore motus, quod ipsum tamen iterum experientia falsitatis convincit. Quis enim nescit, joci causa nos sæpe hominem, cui tamen bene cupimus, tanquam eundem jam averfaremur, fugere, cum soliti alias fuerimus, simul ac in conspectum nostrum idem ille venit, in amplexus ejus ruere? Sic & eruditi in museis suis, in quibus sensa eorum hodie non aliter, quam heri & nudius tertius, quod solita omnia illis ibidem sunt, eodemque se perpetuo modo habent, afficiuntur, non hodie tamen eodem semper modo, ac heri & nudius tertius, moventur, nec opifices, quorum in hoc tertio eadem est ratio, in suis officinis; sed quemadmodum illi nunc hoc nunc aliud agunt, sic & hi nunc hoc, nunc aliud, opus parant, atque longe alio, quam heri ac nudius tertius, modo corpus movent. Quid? quod nec ratio reddi queat, cur, qui heri & nudius tertius integrum in abdito museo, ab omni hominum commercio remotus, transegit diem, præterquam ut egressus ex eodem fuerit, hodie, ubi eodem plane modo sensus ejus afficiuntur, nec vel minimum novi accedit, egrediatur, & amicum conveniat, imo & antequam egrediatur corpus aliis vestimentis induat, quam quibus domi utitur, sicque demum ornatus in lucem prodeat. Taceo infinita exempla alia, in quibus iisdem recurrentibus licet objectis diversissimus tamen consequitur in corpore motus. Aut negandum ergo erit, quod corpus nostrum moveatur ab aliis corporibus in sensus nostros agentibus, aut ad, nescio quas, occultas qualitates, quæ modo occulto in sensus nostros agant atque corpus ad motus suos determinent, erit recurrendum.

## §. XVI.

Sed omnium maxime cum hypothese illustris Leibniti & celeb. Wolffii pugnat *QUARTO illa locomotiva corporis nostri species*, qua fauces adeo artificiose constringimus lingvamque movemus, ut non solum sonus distinctus, sed & sonus animi exprimens sensa, distincte emergat, *quamque loquelam appellamus*. Ut autem appareat, quam impossibile factu sit, ut corpus citra animæ influxum id eloquatur, quod anima cogitat, observamus tria in omni loquela venire consideranda: 1) *sonus articulatus*, quo, ope

QUARTUM argumens-  
tum a lo-  
quela cor-  
poris rati-  
onali de-  
sumitur,

organorum, ad perficiendam loquelam a creatore ordinatorum, aër faucibus egrediens ita modificatur, ut vox articulata, varia collisione, reflexione atque refractione quasi particularum aërearum facta, prodeat. Atque hunc solo corporis mechanismo fieri posse, si spiritus animales, in organis sensuum moti, motum ibidem conceptum ad cerebrum continuaverint, non abnuo: quin & concedo, posse voces, ex instituto significantes, hoc modo proferri, dum semel modo sonus, ex viva ipsius rei appellatione oriundus, ac per organum auditus ad cerebrum delatus, & idea rei in cerebro sibi fuerint invicem juncta. Sic enim, recurrente idea, excitatur idem spirituum animalium, cum quo antea erat conjuncta, motus, voceque adeo ideae respondentem spiritus animales, illorum, quibus rei idea ad cerebrum defertur, motu excitati, multo absque labore proferunt. Atque eatenus concedo lubentissime, quæ hoc de argumento *metaph. §. 236.* a celeb. Wolfio differuntur. 2) Considerandus hic venit *sonus ordinatus*, i. e. verbis apte inter se coherentibus constans. Hunc vero solo corporis mechanismo perfici posse, jam nego. Non enim eodem ordine loquimur, quo rem percipimus, nec sola illa loquimur, quæ percipimus. Quod si autem sermo ornatus beneque compositus solo corporis mechanico motu, a sensibus oriundo, perfici deberet, opus esset, ut, quæcunque loquimur, antea eodem ordine percepissemus, siquidem nulla alia ratio reddi posset, quare hæ voces hoc & non alio ordine se consequerentur. Accedit & illud, quod ordinata oratio illa semper proferat, quæ rei naturæ accommodata sunt, eidemque exacte respondent. Jam vero illum sensuum motum addicere velim, quo ejusmodi excitari lingvæ & faucium motus queat, ut voces exinde formatae apte inter se non cohæreant solum, sed & ad rem ipsam ejusque naturam exprimendam artificiosissime adeo comparatae sint, ut aptam verborum connexionem vel mirari alios fubeat. Et quid huic sensuum motui rationis inest, ut excitare illas in organis sermonis præcise voces possit, quæ rei naturæ, de qua faciendus sermo est, exacte convenient? Hoc ergo jam tale quid est, quod explicari nullo modo potest; maximas tamen difficultates adhuc parit, quod 3) in sermone omni notandum est, *sonus* scilicet *rationalis*, h. e. animi sensa exprimens & animæ cogitationibus ex assè conformis. Tantum enim abest, ut ejusmodi sonus solo

solo corporis organorum mechanicò, a sensibus licet concitato, motu fieri queat, ut majus potius figmentum, quam quo hoc afferitur, atque non animi causa, sed serio, defenditur, cogitari fere nequeat. Qui enim quæso concedi unquam posset, posse succum nerveum, in sensibus concitatum, illas speciatim in cerebro ideas excitare, quas anima cogitat, atque illas mediantibus hisce formare in lingua voces, quas anima proferri cupit, cum nec ille ratione præditus sit, ut animi cogitata assequi queat, siquidem necessario, quicquid facit, agit, nec anima motum ejus influxu suo dirigat, ut cogitationibus suis conformis fiat. Et opus tamen esset, si eloqui corpus, citra animæ concursum, cogitata ejus deberet, ut 1) spiritus animales, in organis sensuum commoti, illas speciatim ideas, quas anima sibi jam repræsentat, eodemque ordine excitaret, quo anima eas cogitat; tum & 2) ut mediantibus his ideis conjunctos illis olim motus demum, adeoque voces articulas, animi cogitationibus conformes, produceret. Quo minus autem illud vel fiat, vel fieri etiam queat, duo obstant: hinc enim ratio reddi aut explicari nequit, quomodo generali illo spirituum animalium motu hæ vel illæ speciatim ideæ in cerebro excitentur, quas anima cogitat, cum aliæ infinitæ excitari potuissent, ab his longe diversæ, ut & eodem, quo anima sibi easdem repræsentat, ordine, cum alio potuissent; hinc etiam illud obstat, quod multa eloquimur, quorum ideæ in cerebro depingi nequeunt, multa etiam, in quibus nullæ plane sunt sensuum externorum partes, ut veritates recens inventæ, conclusiones novæ ex aliis elicite, liberrima animi decreta & ejusmodi alia. Quicquid autem a cerebro non repræsentatur, illius etiam sonus, quo nomen eiusdem rei exprimitur, excitari solo spirituum animalium mechanicò motu nequit, si vel maxime ex propriis celeb. Wolffii principiis judicare hac de re velimus. Verbo: concipi posset, quomodo corpus nostrum, citra animæ influxum, solo succi nervei motu, facere verba possit, si vocabula solum loqueremur, nullo modo inter sese connexa, & nec cum re ipsa, nec cum animi cogitatis, convenientia; jam vero, cum sermonem & bene compositum apteque cohærentem, & ad rei ipsius naturam, concinne, clare atque distincte explicandam, comparatum, & quod maximum est, animi meditationibus ex asse respondentem, proferamus, impossibile est factu, ut idem si-

ne entis cujusdam intelligentis concursu & influxu proximo producat.

## §. XVII.

Vindicatur  
hoc argu-  
mentum a  
Dn. Wolf-  
fii excepti-  
onibus,

Videtur sibi quidem celeb. WOLFFIVS in *metaphys.* §. 834. *segg.* omnes illas difficultates, quæ formari circa sermonem corporum poterant, sustulisse; quemadmodum autem primarium illud dubium de eodem verborum cum cogitationibus ordine ne attigit quidem; sic & alteri illi de sermone abstractorum & ratiocinatorum adeo nondum satisfecit, ut multis adhuc exceptionibus locus sit relictus. Per gradus autem vir celeb. hic agit. Initio enim ostendit, quomodo res, etiam abstractæ, representari in cerebro per signa sua, id est, vocabula, eandem exprimentia, possint, atque post hæc demum, quomodo & eloqui ea corpus queat, ostendit. Quando ergo §. 834. inquit: *Wir pflegen den Dingen, in soweit Sie einander ähnlich sind, und also entweder von einer Art seyn, oder zu einem Geschlecht gehören, einerley Nahmen zu geben (§. 291.). Und durch Hülffe dieses Nahmens sondern wir gleichsam ab, was sie mit einander gemein haben. Und sind demnach die Wörter oder auch andere Zeichen (§. 317.) das Mittel, dadurch wir allgemeine Erkenntniß erlangen, atque deinceps §. 835. pergit: Da nun die Wörter Thone sind, die sich durch das Gehör unterscheiden lassen: so können sie auch im Leibe durch Bewegung in dem Ohre und Gehirne vorgestellet werden (§. 219.). Da nun die allgemeine Erkenntniß aus Wörtern bestehet (§. 834.); so kan auff solche Weise auch die allgemeine Erkenntniß im Leibe vorgestellet werden, das ist, es können im Leibe Bewegungen hervorgebracht werden, mit welchen die allgemeine Erkenntniß der Seelen übereinstimmet, eo modo hæc tendunt, ut ostenderet, quomodo per signa rerum, vocabula, certi excitari motus in cerebro queant, quæ ipsas res aliquo modo referant: quod ipsum etiam facile eidem largimur. In subsequentiibus autem §§. id jam agit, ut, quomodo ore proferri eadem etiam queant, ostendat. Huc pertinent, quæ §. 836. habentur, quæ quoniam prolixiora sunt, quam ut recenferi commode hoc loco queant, inferere supersedeo, in compendium tamen omnia, ex viri celeberr. mente, fideliter redigam. Ostendit scil. vir celeb. sub initium §, quomodo illi, qui vocabula invenerint primi, conspectu rerum ad certos ore formandos sonos fuerint invitati, ut &, quomodo in iisdem, dum*

dum vocabula audierunt, motus, ab his ipsis in auditus organo facti, in cerebro cum aliis motibus, ab aliis sensibus oriundis, fuerint combinati: ex quo putat factum fuisse, ut, cum postea alter modo horum motuum recurrerit, eadem eo ipso iterum fuerint excitatae voces, quæ antea rerum conspectu fuerant formatae. Ita autem deinde pergit: *Derowegen, da das Gehirne dergestalt beschaffen, daß wenn zweyerley Bewegungen dafelbst zugleich entstanden, nach diesem wiederumb aus der einen, die durch die Sinne erregt worden, die andere erfolget (§. 312.); so siehet man hieraus, wie es möglich, daß unser Leib als eine bloße Machine diejenigen Wörter hervorbringet, die sich jederzeit zur Sachen schicken, und die allgemeine Erkänntniß der Seele andeuten.* Sed quis hic non videt, in conclusionem plus esse, quam in præmissis, sive, inferri hic a viro celeb. aliquid, quod nunquam ex præmissis sequitur. Quodsi enim ex adductis ex cit. §. id intulisset, posse corpus mechanismo suo vocabula nonnulla, etiamsi vel maxime conceptus abstractos significarent, proferre, res quidem satis jam difficilis probatu esset, posset tamen aliquo modo adhuc concedi, forsitan etiam ex præmissis aliquo modo sequeretur; sed enim vero quando infert, perspicui jam ex his, quomodo corpus, ut nuda machina, verba proferre possit, *die sich jederzeit zur Sache schicken und die allgemeine Erkänntniß der Seelen andeuten, concludit aliquid, quod nec in præmissis suis, probavit, nec unquam probabit.* Hactenus enim nihil probaverat, quam quod §. antecedente numero 1. de sono articulado fuit concessum, & tamen, quæ num. 2. & 3. allata sunt, in conclusionem infert. Absit ergo, ut viro celeb. concedamus, quod quærit, aut credamus, sustulisse eundem dubia, quæ non frustra hoc de argumento moventur. Eadem vero monenda etiam veniunt, quando idem §. 337. quo, ni fallor, ad infantes respicit, pergit: *Gleicher gestalt verhält sich mit denen, welche die Sprache von andern lernen. Wir empfinden die Sache und hören das Wort, wodurch sie angedeutet wird, zugleich (§. 297.): und fangen es auch an auszusprechen. Also haben wir abermahls im Gehirne zweyerley Bewegungen, die aus zwey oder auch mehrern verschiedenen Bewegungen, welche in den Gliedmaßen der Sinnen erregt worden, entsprungen, und aus diesem entsteht die Bewegung in den Gliedmaßen der Sprache. Derowegen wenn nach diesem die eine Bewegung von beyden erregt worden,*  
*durch*

durch die Veränderung in einem Gliedmaßen der Sinnen; so entstehet auch daraus die andere (§. 812.) und endlich auch die Bewegung in den Gliedmaßen der Sprache. Ex his enim nihil aliud iterum sequitur, quam quod singula vocabula mechanismo corporis excitari, per organa loquelæ, queant; quomodo autem corpus integros atque bene ornatæque compositos sermones eloqui, sine animæ concursu physico, nedum quomodo ea eloqui, quæ anima cogitat, possit, nondum hoc ipso est probatum. Nec hæc solum sunt, quæ his in argumentis desiderantur, sed, si eo, quo vir celeb. putat, modo loquela omnis perficeretur, sequeretur adhuc 1) quod eloqui corpus nihil posset, nisi quod in sensus aliquando incidit: quomodo ergo veritates, ab anima multa demum meditatione & industria erutas, quomodo decreta, ab anima nunc primum de hac vel illa re formata, enuntiare poterit? 2) Eo solum tempore corpus hæc vel illa loqueretur, quo sensus objecta tangunt, nunquam autem objecto absente; vice versa autem 3) tum semper vocabula rerum corpus proferret, quando res ipsæ in sensus agunt. Non enim apparet, quæ ratio esset, ut alio tempore corpus rerum nomina exprimeret, propterea, quod organa sermonis a spiritibus animalibus, in sensuum organis commotis, moverentur; alio autem tempore, quando iidem tamen motus recurrunt, sileret, nec eadem rerum vocabula proferret. Fortissimum mihi hoc videtur esse argumentum, quod ne singula quidem vocabula eo modo, quo vir celeb. putat, proferri ore corporis queant, quid ergo de reliquis futurum sit, facile vel ex hoc apparet. Quod si enim hoc modo sermones nostri fierent, similes futuri infantibus essemus, qui, quæcunque vident, loquuntur, nec in potestate futurum esset, quo quælibet vellemus tempore, eloqui, cui tamen quotidiana experientia refragatur. Ut enim exemplo aliquo res clarior fiat, est v. c. qui linguam gallicam addiscere incipit. Adest linguæ peritus ut illum instituat, ostendit ille librum, eundemque *livre* appellari dicit: discens audit & tenet vocabulum, silet autem. Repetit idem magister, postulatque ut & ipse pronunciet. Ille vero, quod pronunciare non placet, iterum silet. Instante vero magistro, tandem, quod offensus antea ab eodem fuerat, non vocabulum *livre*, sed longe alia loqui incipit, donec iram omnem in magistrum effudit, atque tum demum vocabulum pronunciat. Hic vere ratio jam

jam reddi nequit 1) quare vocabulum livre discens non pronunciet, cum tamen sonus aurem ejus ferierit 2) quare non vocabulum illud, sed longe alia, loqui incipiat 3) quare tandem, quando ipsi placet, non monente denuo licet magistro, vocabulum pronuntiet & 4) tandem, quare non, quotiescunque librum iterum iterumque videt vocabulum livre pronuntiet. Quid? quod discens pro lubitu vocabulum etiam nunc tardius, nunc celerius, nunc fortiori, nunc remisiori voce, quam docens fecerat, prout ipsi placet, proferre queat, quorum omnium absoluta impossibilitas esset, si organorum sermonis motus omnis a motu spirituum animalium, in sensuum organo excitato, unice penderet, nullæque plane animæ in sermone essent partes.

## §. XVIII.

Sed §. 8. 10. propius se jam vir celeb. accingit, ut explicet, quomodo corpus etiam animi cogitata proferre possit, in quo tamen iterum occurrit, quod jure desideratur. Videbimus hæc, quamprimum ipsa modo viri celeb. videbimus verba. Ita autem ille: *So bald wir uns Worte gedencken, entstehet auch im Gehirne eine gewisse Bewegung, die mit ihr (cum cogitatione putat) zusammenstimmet, und aus dieser Bewegung erfolgen die Bewegungen in den Gliedmassen der Sprachen, daß wir reden was wir gedencken.* His enim verbis vir celeb. nihil probat, nisi quod nemo negat, sive systema commune influxus, sive Cartesianum, defendat; id autem, quod a dissentientibus ipsi negatur, & in quo cardo rei versatur, non probat. Eundem enim hic committit vir celeberrimus in probando saltum, quem commissum ab eodem in doctrina de sensationibus esse, jam *diff. prior. §. 21.* luculenter dedimus probatum. Id enim, quod prora, quod puppis doctrinæ hujus est, silentio præterit, & tanquam satis certum aut evictum jam supponit. Sequi enim cogitationes animæ certos in cerebro motus, & ex illis eos iterum consequi, quibus in certis corporis organo loquela formatur, nemo, nisi qui negat, inter cogitationes animæ & loquelam corporis harmoniam aliquam intercedere, in dubium vocat. Illud ergo, quoniam ab omnibus, rei peritis, conceditur, non poterat rationem suppeditare, cui suam sententiam vir celeb. superstrueret; sed 1) probandum eidem erat, oriri istos in cerebro motus citra animæ influxum, 2) explicandum, quomodo ori-

Idem continuatur argumentum.

antur, & 3) quomodo illi speciatim motus in cerebro oriuntur, quibus illæ sigillatim voces in organis sermonis excitentur, quæ animi meditationes, cogitationes, ideas atque conceptus adeo exacte exprimant. Hoc, inquam, probatione indigebat, atque hoc si probasset celeb. vir, egisset id, in quod totius rei fundamentum recumbit. Quandoquidem vero idem illud nunquam nec explicabit, nec probabit; nunquam etiam explicare poterit, quomodo corpus proprio mechanismo ea, quæ anima cogitat, ore proferre queat. Non majori vero soliditate vir celeb. probat, quomodo corpus nostrum propria virtute ratiocinia & integros syllogismos proferre possit. Iterum enim id supponit, quod erat probandum, quod scilicet & quomodo motus in cerebro, cogitationibus animæ conformes, citra animæ influxum excitari, atque per hos demum organa sermonis moveri queant. Ita enim §. 842. loquitur: *alle Vorstellungen der Seelen, es mögen Sachen oder Wörter seyn, dadurch die Sachen bedentet werden, und sie mögen entweder unter die Empfindungen, oder unter die Einbildungen gerechnet werden, können im Leibe von besondern Bewegungen begleitet werden (§. 778). Da nun zu den Vernunftschlüssen weiter nichts, als dergleichen Vorstellungen, erfordert werden, (§. 841); so können auch alle Vernunft-Schlüsse durch besondere Bewegungen im Gehirne dargestellt werden. & §. 843: wiederum da ich schon mehr als einmahl erinnert, daß, so offt wir uns worte geducken, auch aus der Bewegung im Gehirne, die mit ihnen zusammen stimmt, die gleichstimmende Bewegung in den Gliedmaßen der Sprache, dadurch die Worte gebildet werden, erfolge (§. 838); so siehet man, daß auch aus der Kraft des Leibes der Mund alle zu den Vernunft-Schlüssen erforderliche Worte vorbringen kan, ohne daß sich die Seele mit darein mischet. Nolo hic, quæ iam sæpius dicta sunt, repetere; quid tamen in his viri celeb. verbis desit, paucis erit monendum. Scilicet iterum iterumque moneo, non esse hic de singulis vocabulis controversiam: de his enim jam sæpius concessi, posse illa forsan, solo corporis mechanismo, in organis sermonis produci, adeoque illud & de omnibus illis, quæ argumentum aliquod constituunt, erit concedendum; sed ut eo ordine, quem syllogistica ars præscribit, eoque modo, quem animæ cogitata postulant, eadem proferantur, id nullo mechanismo corporis perfici potest, nec perfici posse, a viro celeb. aut*

alio



alio quoquam unquam probatum est. In auram itaque dicta sunt, quando vir celeb. §. 844. ubi doctrinam de harmonia praestabilita absolvit, in hunc modum inquit: *Und also sind die wichtigsten Schwierigkeiten gehoben, die man von dem Verstande wieder die vorher bestimmte harmonie vorbringen kan (§. 281), und sieht man klärlich, daß alles, was den Verstand und die Vernunft angehet, in der Seelen durch die einige Krafft die Welt vorzustellen sich erklären lässet; hingegen aber auch NB. alles, was im Leibe vorgehet, nichts in sich enthält, was die Natur und das Wesen einer machine überschritte.* Judicet etiam lector, quo loco habendum sit, quando Cl. BYFFINGERS in sua Commentat. hypoth. Sect. 6. §. 197. p. 200. ubi eandem hanc corporis loquelam defendit, inquit: *ad questiones istas, quomodo scilicet corpus syllogifinos & propositiones generales loqui queat, generalem Leibnitius sed elegantem atque determinatam acutissimus Chr. Wolfius dedit responfionem, quam & ibidem repetit ac calculo suo probat.* Ex dictis enim haecenus, quilibet facile judicare poterit, quantum a vero vir clariff. abludat, & quam parum ejus voto eventus respondeat. Ipse autem celeb. Wolfius jam dispiciat, quo jure de illis, qui systema influxus defendunt, scribere §. 845. possit: *Sie vorwerffen daß die Bewegungen in den Gliedmaßen des Leibes aus den Bewegungen erfolgen können, die in den Gliedmaßen der Sinnen erreget worden, weil sie aus Mangel genugfahmer Erkäntniß von der Beschaffenheit des Gehirns und der mit ihm durch den gantzen Leib vereinhahrten Nerven nicht völlig begreifen können, wie solches zugebe, & paucis interjectis de iisdem asserere: daß sie die Beschaffenheit der Instrumente, per quæ scilicet motus in corpore producantur, nicht verstehen.* Videtur enim persuasus esse, argumenta illa, quæ adversus suum systema proferriqueant, ex sola corporis ejusque constitutionis ignorantia proficisci, nimisque adeo propriae hypotheseos fiducia laborare. Num ergo & hæc, quæ hic adversus utrumque systematis ipsius caput allata sunt, omnia exignorantia profecta sint, videat, eademque, si fieri poterit, solide discutiat. Veritatis enim inquirendæ causa hæc haecenus disputavi, veritati etiam, si rationibus me victum viderim, lubentissime cedam. Persvaderi tamen interea, propter allatas rationes, nunquam mihi patiar, vera esse, quæ vir celeb. *in den Anmerkungen über die vernünftigen*

*tigen Gedanken §. 432. scribit: das Systema harmonia præstabilitæ sey das einzige, dadurch sich die Gemeinschaft zwischen Seel und Leib gantz natürlich und verständlich erklären laße. Erunt forsan & alii, qui idem sentient, si rationes hæcenus aduersus illud allatas, vel obiter saltem inspicere fuerint dignati.*

## §. XIX.

Pauca de  
aliorum  
aduersus  
harm. præ-  
stab. objec-  
tionibus  
monentur.

Hæc sunt, quæ hæcenus aduersus systema harmoniæ præstabilitæ afferre placuit. Objectiones enim, quas aduersus idem systema mouerunt viri, in præfatione adducti, celebres & eruditi, FOVCHERIVS, BAILIUS, LAMIUS, TOVRNEMINIUS, NEWTONVS, CLARCKIUS, STAHLIUS, exceptis solum nonnullis Bailianis, meas non facio, eo quod partim statum controversiæ non allequuntur, partim etiam ita comparatæ sunt, ut facilis sit ad easdem, ex ipsius systematis analogia, responsio. De Bailio autem id adhuc notandum, quod, quanquam statum controversiæ optime perspexerit, nonnulla etiam aduersus Leibnitium urgeat, quæ systema eius vere premunt, quemadmodum id ipsum jam ex superioribus constat; non iusto tamen rigore argumento suo semper insistat, sed sapius ab eodem, præter necessitatem, remittat, sapiusculæ etiam Leibnitio plus, quam veritati, concedat, eidemque manifesto blandiatur. Exempli loco id modo urgeo, quod Bailius secundum versionem Köhleri germanicam, monadologiæ Leibnitianæ subijunctam, §. 4. scribit: *Daher, ob rationes scilicet allatas, kan man die Hypothese des Hrn. von Leibnitz. als eine unmögliche verwerffen, & tamen alibi addit: Ich füge nur hinzu, daß diese hypothese des Hrn. v. Leibnitz, wenn sie wohl auseinander wird gesetzt und erörtert seyn, das wahre Mittel sey, alle Schwierigkeiten aufzulösen, und aus dem Wege zu räumen &c.* quibus verbis Leibnitii quidem gratiam sibi conciliare studet, & sibi autem, & veritati ipsi, aperte contradicit. vid. eadem verba adducta a BVLEFFINGERO l.c. p. 151. Sp. 177. §. 170. De reliquorum objectionibus ut multa afferantur, nec opus est, nec ad scopum nostrum pertinet. De FOVCHERII tamen objectione notandum est, quod nimium ille liberalis sit, quando in *Journ. des Scaans a M D C X C V, 12. Sept. p. 630. seqq.* Leibnitio concedit, quod magnus *univèrsi artifex*; quemadmodum verba eius BVLEFFINGERVS l.c. p. 124. §. 123. reddidit, *DEUS, corporis organa possit adeo apte asponere, ut omnes illos motus producere queant,*

ant, quos anima, isti conjuncta corpori, per omnem suam vitam produci volet, etiam si ista nullam motuum mutationes aut modificatio- efficiendi facultatem habeat. Quod si enim illa ita intellecta vo-

luit, ut corpus hæc, citra actionem & concursum aliorum cor- porum, perficere possit, solo membrorum mechanismo, nego, posse DEUM ejusmodi machinam conficere, quæ se nunc for- tiss, nunc remissus, etiam in primo suo elastro, quod in corpo- re organico spiritus animales sunt, movere queat. Contradictio- ria enim DEUS posset, si materiam, rem omnium saniorum con- sensu mere passivam, ita disponere posset, ut citra alterius corpo- ris impulsu, nunc majori, nunc minori, impetu se moveret, quem tamen spiritus animales, pro diverso membrorum corporis mo- tu, actu ipso in corpore sustinent. Quod si vero ita verba sua Foucherius intelligit, ut eo solum in casu ejusmodi machinam a DEO parari posse statuatur, quando eadem ab aliis corporibus, extrinsecus in eandem agentibus, moveri concipitur, tum qui- dem id impossibile plane non esse, quod asserit, concedo, in cor- pore tamen nostro idem factum esse nego, quoniam alias eodem in sensu agente objecto idem semper rediturus esset in corpore nostro motus, quod tamen aliter fieri jam supra fuit observatum: ne reliquas difficultates, modo allatas, hic denuo repetam.

## §. XX.

Posset hic toti disputationi imponi finis, siquidem id, cujus gratia instituta eadem fuit, affectu jam sumus, dum offendimus, quam ex physicis rationibus obstat, quo minus talis inter a- nimam & corpus statui harmonia queat, qualem inter has partes dari illustr. Leibniti & celeb. Wolffius sibi persuadent; sed o- pus est, ut ante adhuc, quam idem fiat, ad objectiones, quas viri celeb. adversus systema influxus formare solent, paucis respon- deatur. Duo autem potissimum sunt, quæ urgere adversus in- fluxum solent. Primo enim putant, dari certam motus quan- titatem in mundo, quæ vel augetur vel minueretur, si anima a- geret in corpus, & corpus vice versa in animam operari posset: alterum, quod urgent, est, quod spiritus non possit agere in corpus idemque movere, ideoque nec anima. Priori argumento jam dudum Cartesiani systema influxus impugnarunt. Ipse enim jam CARTESIVS, certam ac determinatam motus quantitatem a DEO semel creatam esse, persuasum sibi esse, aperte fatetur *prin-*

Occurrit argumentum, adversus systema influxus a certa motus quantitate in mundo defumto.

*cip. philos. part. II. n. 36. ubi ita habet: & generalem loquitur de causa motus generali, quod attinet, manifestum mihi videtur, illam non aliam esse, quam DEUM ipsum, qui materiam simul cum motu & quiete in principio creavit, jamque per solum suum concursum ordinarium NB. tandundem motus & quietis in ea tota, quantum tunc posuit, conservat. Nolo omnes ex Cartesianis excitare, qui eandem sententiam magistri sui ambabus amplexi sunt, suisque scriptis inferuerunt, quibuscum & illi consentiunt, qui de legibus motus scripserunt, WALLISIVS, HUGENIVS, WRENNVS, MARIOTTVS, alii: ex recentioribus modo eclecticis, qui tamen hac in parte Cartesiana vestigia presse legit, unicum adjiciam. Est ille Jo. CHRIST. STURMIUS, physiorum longe celeberrimus, qui *physic. elect. tom. I. p. 164.* ubi cum primam, quam ponit, motus regulam attulisset, qua DEVM constituisse inquit, *ut quoties una materia portio in aliam, aut corpus unum in aliud, recepto a summo motore impeteret, impingeret, hoc etiam inciperet moveri, & quidem, pro ratione impactus aut impingentis mole, magis aut minus; ita quidem, ut impactum tantundem motionis amitteret, quantum recipit alterum, ita immediate pergit: quo scilicet eadem motus quantitas in universo mundo perpetuo maneret, quamvis aliter aliterque diversis temporibus distributa. Ostendit etiam hujus ipsius hypotheseos fructum idem Sturmius, dum ejus causa systema causarum occasionalium cum Cartesianis nonnullis amplectitur, idemque prolixè *cit. tom. I. p. 161. seqq.* defendit. Causa enim hæc ipsa Cartesianis, & quotquot cum illis faciunt, est, quod corporis & animæ mutuam in se invicem influxum negant. Rejecit tamen hanc Cartesianorum sententiam, aut, ut rectius loquar, emendare solum eandem aggressus est illustr. LEIBNITIVS. Falsum enim ille sibiprehendere visus est, servari semper eandem motus in mundo quantitatem, vim autem motricem semper eandem manere putat, atque propter hanc animæ in corpus, & corporis in animam, influxum, negat. Exposuit mentem suam ea de re in *actis erud. Lips. a. M DC LXXXVI. p. 161. & a. M DC LXXXIX. p. 186. 195. a. M DC XC. p. 228, 234. a. M DC XCI. p. 6. seq. & 439. a. M DC XCVIII. p. 429.* ubi, quantitatem virtutis absolutæ diversam esse a quantitate motus, evincere conatur, & dynamices suæ fundamenta exponere laborat. Addantur *Nowvelles de la republ. des lettres, a. M DC LXXXVI. p. 696. a. M DC LXXXVII. p. 131.***

p. 131. §. 577. item 952. ut & Journ. des Savans a. M DC XCIII. p. 651. Reperit idem vir illustr. in *essais de Theodicée* §. 61. p. 245. edit. germ. ubi ita loquitur: Ueberdem so hat man seit Cartesio zwey wichtige Wahrheiten entdeckt, nemlich erstlich, daß die Quantität der absoluten Stärke, die sich auch würcklich conserviret, unterschieden ist von der Quantität der Bewegung, wie ich zur andern Zeit, locis scilicet allegatis, angemerket, und zum andern &c. Atque hanc ipsam vim motricem ratione quantitatis suæ eandem semper esse, asserit, & propter eandem animæ & corporis in se influxum negat, in *sto adv. Clarckium scripto*, ubi §. 94. Ich trage Bedencken, inquit, zu sagen, daß es übernatürlich, einem Körper eine neue Kraft mit zutheilen; denn ich bekenne, daß ein Körper öfters eine neue Kraft von einem andern bekomme, welcher eben soviel von der seinigen verlieret: sondern ich sage nur, daß es übernatürlich sey, daß der gantze in Begriff der Körper eine neue Kraft bekomme, und daß folglich einem Körper ein gewisser Grad der Kraft mitgetheilet werde, ohne, daß er von der seinigen soviel verlieret. Daher sage ich auch, daß es sich nicht behaupten lasse, daß die Seele dem Körper eine Kraft mittheile, hoc est, ex mente viri illustris, corpus, impulsu quodam facto, in motu ponere, denn in diesem Fall der gantzen begriff der Körper eine neue Kraft bekommen und gewinnen würde. Exacte cum his conveniunt, quæ idem vir illustris Theodicea loco jam adducto, p. 246. habet: Ueberdem, inquit, daß sich die physische influenz dieser substantien, intelligit vero animam & corpus, in einander nicht erklären läßt; so habe ich in Betrachtung gezogen, daß die Seele, ohne eine gantzliche Verwirrung der Gesetze der Natur, in dem Leib unmöglich physice agiren könne. Sequitur hic illustrem Leibnitium iterum celeb. Wolfius, atque ex iisdem fundamentis etiam actionem corporis in animam, qualis alias in sensationibus statuitur, pariter negat. Ita enim ille metaphys. §. 762: Ich habe oben erinnert, daß vermöge der Regeln der Bewegung, darin die Ordnung der Natur gegründet ist, immer einerley bewegende Kraft in der Welt erhalten werde (§. 709.). Wenn der Leib in die Seele, und die Seele in den Leib würcket, so kan nicht einerley bewegende Kraft in der Welt erhalten werden. Denn wenn die Seele in den Leib würcket, so wird eine Bewegung hervorgebracht ohne eine vorübergehende Bewegung, massen man setzt, daß die Seele die Bewegung in ihrem Leibe bloß durch ihren Willen

Willen hervorbringet. Da nun diese Bewegung ihre abgemessene Kraft bey sich hat; so entstehet eine neue Kraft, die vorher nicht in der Welt war. Und also wird wieder das Gesetz der Natur die Kraft in der Welt vermehret. Gleicher gestalt wenn der Leib in die Seele würcket, so bringet eine Bewegung einen Gedancken hervor. Da nun nach diesem die Bewegung aufhöret, ohne daß daraus eine neue Bewegung in einem andern Theil der Materie entflünde; so höret eine Kraft auf, die vorher in der Welt war. Und also wird wieder das Gesetz der Natur die Kraft in der Welt vermindert. Prolixiora hæc viri cel. verba vel propterea adducere integra volui, quod in compendio totam hypothesein sistunt, ut eo clarius adeo mens virorum celeb. hinc perspiciatur. Consentit etiam cum his omnibus cl. BVLFFINGERVS l.c. sect. 3. §. 35. p. 31. idem quoque fere canone suo, quem §. 37. p. 34. adducit, metaphysico, quo effectum integrum equipollere causse plenæ dicit, intendit, cujus pleniorum sentium apud ipsum virum clar. l.c. quarere, qui eum desiderat, potest: nisi, quod mihi saltem videtur, vir cl. id eodem vult, ne posse quidem quantitatem motus in sensationibus minui, quia anima nullam partem motus sufflaminare queat, quod nulla illi in corpus reactio tribui possit, siquidem inter animam & corpus, tanquam res toto genere diversas, nulla proportio detur. vid. §. 41. Paulo obscurius enim est, quo vir cl. utitur, scribendi genus, fateorque, me hic mentem ejus non omnino capere.

## §. XXI.

Quoniam autem falsitas sententiæ Cartesianæ de eadem moto quantitate vel ex eo facile demonstrari poterat, quod alio quodam falso nititur, & ex negata vacui disseminati in mundo existentia fluit; quoniam tamen a Leibnitio jam rejecta atque falsitatis convicta est, cum hujus autem sententia nobis hic potissimum res est, illam de certa motus in mundo quantitate hypothesein eatenus mittimus. Videtur enim sibi vir illustris hanc Cartesianam sententiam adeo solide confutasse, ut in *Journ. des Scavans a. M DC XCVI. 19. Nov. p. 712.* se mirari scribat, quod a nonnullis adhuc asseratur, conservare se semper eandem motus quantitatem, sensu Cartesiano, cum ipse contrarium demonstraverit. Ad solam ergo Leibnitianam sententiam hic tantum attendimus, atque de eo, quid regeri ad eandem debeat, solummodo cogitamus. Id ipsum autem facile succurret, dummodo,

Speciatim  
sententiæ  
Leibnitianæ de eadem  
virium motricium  
quantitate.

modo, quid per virtutem suam motricem intelligat, recte teneamus. Vis scilicet motrix viro illustri nihil est aliud, quam initium motus, vel actualis corporis unius ad alterum impulsus. Id enim non solum clarum est ex verbis jam adductis, sed idem etiam manifestius adhuc redditur ex §. 95. sti adv. *Clarckium scripti*, ubi ita vir illustr. differit: Ich hatte behauptet, daß die wirkende Kräfte, vires activa, in der Welt erhalten werden. Man wendete mir darwieder ein, daß zwey weiche und unelastische Körper, wenn sie concurriren, ihre Kraft verliehren. Ich antworte aber hierauf mit nein. Die ganzen masse verliehren zwar ihre Kraft, in Ansehung ihrer total Bewegung, die Theile aber bekommen die Kraft, indem sie durch die Kraft, so durch den Zusammenstoß erwächset, innerlich getrieben und bewegt werden. Also trägt sich dieser Abgang oder Mangel nur nach dem äußerlichen Schein zu, die Kräfte werden nicht aufgehoben oder zernichtet, sondern nur durch die kleinsten Theil zertheilet und zerstreuet. Die Körper verliehren ihre Kräfte nicht, sondern es hat hiermit eben die Verwandniß, als wenn man das große Geld in kleines umsetzet. Unerdrossen bin ich darin einig, daß die größe der Bewegung nicht einerley bleibet. Ex quibus verbis colligere licet, intelligere virum illustr. per vim motricem aliud nihil, quam vim appulsivam, impulsivam, aut quocunque alio nomine veniat illud ipsum, quod motus alicujus in hoc vel illo corpore initium & principium est. Jam vero manifestum est, perpetuam esse relationem & proportionem inter quantitatem motus in mundo & quantitatem virtutis motricis, tanquam inter effectum ejusque causam. Tantam enim semper oportet manere quantitatem motus, quanta est vis eidem respondens. Aut enim motus ipse quantitati virtutis moventis accurate semper responderet, aut minus: si illud, jam evictum est, de quo quæritur; si hoc, per ipsam diminutam quantitatem motus ipsa tandem vis motrix imminuitur, quoniam hæc per eandem impulsus quantitatem solum in statu quo conservatur. Cum perpetua ergo intercedat inter quantitatem motus & quantitatem vis motricis proportio, per se jam patet, quod tanta semper sit futura quantitas motus, quanta vis motricis est, atque si hæc semper in mundo eadem est, illam etiam necessario eandem semper esse oporteat. Atque eo etiam sensu Cartesiani semper eandem motus quantitatem

defenderunt. Absit enim, ut putemus, eos de quantitate motus successive spectata sententiam suam intellectam voluisse, quasi post aliquot annos, ne dicam aliquot dies aut horas, tota motus quantitas, successive accepta, sive de toto motuum particularium ambitu intellecta, major facta non fuerit, quam ante illud tempus fuit: esset enim illa absque admodum sententia, quæ & cum primo principio, quo impossibile esse dicitur, ut idem simul sit & non sit, aperte pugnaret; sed sententia illorum de quantitate generatim spectata, cujus quantitas cum quantitate vis movendi coincidit, est accipienda, quo sensu illis eadem semper quantitas motus in mundo conservatur. Videtur tamen hanc sententiam Cartesianis tribuere cl. BÜFFINGERS, qui *commentat. hypothet. sect. III. §. 34. p. 30.* postquam sententiæ Cartesianæ & Leibnitianæ brevibus mentionem fecerat, de posteriori hæc ita judicat: *Quod ipsum vel ex eo convenientius esse deprehenditur, quod motus quidem, res successiva, nunquam possit dici existere: etsi enim partes habeat, nunquam ea tamen sibi coexistunt, sed fluunt; principium autem motus vel vires in corporibus motrices revera existere, ex ipso motu, successive ab iisdem producto, intelligitur.* Ipse ergo vir cl. dispiciat, quo jure ille viris philosophis sententiam tribuere queat, quam nemo, vel mediocri solummodo judicandi virtute pollens, facile admiserit. Cum sententia ergo Cartesianæ eodem cum Leibnitianæ hoc in argumento redeat, illam autem Leibnitius ipse jam, juxta loca allegata, confutaverit, simul & suam actu confutavit ipso, nihilque adeo, quod de sua, repudiata Cartesianæ, gloriatur, habet. Urget hæc jam adversus Leibnitium, atque argumenti nervum pariter & perpetua inter quantitatem virtutis motricis & motus ipsius proportionem desumit SAMUEL CLARCKIUS *in respons. sta ad §. 93-95. not. m.*

## §. XXII.

Atque ad  
exceptionem  
aliquam  
re-  
spondetur.

Prævideo autem facile quid adversus hætenus dicta excipi adhuc cum aliqua specie queat. Quodsi enim vel maxime, regeri poterat, certum illud jam atque exploratum est, respondere sibi invicem Cartesianam & Leibnitianam sententiam, nihil tamen exinde aliud evinci, quam quod Leibnitius male sententiam Cartesianam sibi adversam esse putaverit: ipsi autem argumento, ab identitate quantitatis motus generalis, aut, quod  
idem



idem est, virium motricium, desumpto, suum adhuc constare ro-  
bur, ut adeo vel propter hanc ipsam hypothesin anima in cor-  
pus agere dici nequeat, cum motus hoc modo produceretur,  
qui fundamentum suum in reliqua motus aut virium motrici-  
um quantitate non haberet. Verum facile etiam occurri huic  
dubio potest. Nondum enim illa motus qua quantitatem suam  
viresque motrices identitas adeo jam evicta est, ut animabus  
propterea vis corpus movendi denegari queat. Naturalium  
quidem corporum, quæ quicquid agunt, ex dispositione mate-  
riæ agunt, easdem semper esse & manere movendi vires & mo-  
tus quantitatem, non nego, quin potius hoc ipsum pro causa  
proxima vendito conservati in hunc usque diem, & conservan-  
di imposterum adhuc, sic dicti cursus naturæ, si a concursu di-  
vino, tanquam causa efficiente remota, tantisper præscindas;  
hæc ipsa tamen adeo generalia esse, ut secure ea propter ani-  
mæ movendi vis abjudicari queat, nullo probari modo potest.  
Et tamen Leibnitius ex assumpto hoc principio, quod adeo ge-  
nerali, quemadmodum accipitur, sensu probari nunquam pote-  
rit, concludit jam, vel propterea non posse animam in corpus  
agere, quod alias quantitas virium motricium in mundo non  
eadem perpetuo maneret, sed nunc augetur, nunc minuere-  
tur. Quid autem? si ex opposito inferrem: non posse eandem  
semper vel motus, vel virium motricium, quantitatem in mun-  
do manere, quoniam anima singulis fere momentis novos mo-  
tus in corpore suo producat? Eodem enim, si non majori, quam  
Leibnitianum, robore gauderet argumentum, siquidem, quo ju-  
re ille ab assumpta sua de eadem quantitate virium motricium hy-  
pothesi ad negandum animæ in corpus influxum argumentatur;  
eodem, si non majori, jure ab animæ in corpus influxu physico  
ad negandam eandem motus ejusdemque virium quantitatem  
argumentari possem. Hæc omnia autem non solum propter  
sententiam illustr. LEIBNITII, sed celeb. etiam WOLFFII ver-  
ba, §. antecedente adducta, notanda sunt, in quibus tamen vir  
celeb. id adhuc peculiare habet, quod ex eodem fundamento  
etiam actiones animæ in corpus negat, quod non memini me  
apud Leibnitium ipsum alicubi observasse. Adstipulatur tamen ei-  
dem clarissimus BULFINGERVS, qui *l. c. sect. III. §. 35. p. 37.*  
*vires motrices minui*, scribit, cum ex diversorum corporum motu

atque in sensoria nostra impulsu oriuntur perceptiones. Sed pace virorum celeb. dicere mihi liceat, non sequi, quod iidem ex perceptionibus sequi putant, si vel maxime ex propriis eorundem hypothefibus disputare cum iisdem velim, siquidem concipi potest, quomodo eadem motus quantitas maneat, si vel maxime ex motibus spirituum animalium & corporum, in organa sensuum agentium, perceptiones oriri statuatur. Non enim opus est, ut persuadeamus nobis, allidi quasi spiritus animales, in motu positos, ad animam, in eamque motum suum terminare, quemadmodum fluctus marinos ad littora allui, ibique a motu suo remittere videmus; sed sufficit, quod spiritus animales rerum, quas representant, & a quibus in motu positæ fuerunt, impressas ideas referunt, quas in transitu, animam quasi prætervehendo, sistere eidem ad formandas inde perceptiones possunt, adeo ut ipsi nihil motus eo ipso, dum perceptiones in anima excitant, amittant, sed eundem, quantus etiam est, omnem cum aliis corporis partibus fluidis, pariter atque solidis, communicent, ita tamen, ut motus totius motus partium fiat, quemadmodum allatum ex illustr. LEIBNITIO *sub initium antecedentis* §. simile, quod a duobus corporibus non elasticis desumfit, rem illam clarius explicat. Hoc itaque modo & excitari motu corporum ideæ in anima possunt, & conservari tamen simul, ut nihil ejus rei pereat, eadem motus & virium motricium quantitas, adeoque & consistere communis de perceptionibus doctrina cum sæpius memorata illa hypothefi potest.

## §. XXIII.

Eadem  
motus &  
virium mo-  
tric. quan-  
titas exem-  
plis qui-  
busdam  
contrariis  
impugna-  
tur.

Operæ vero pretium est, quoniam ad hanc hypothefin continuo recurritur, quando animæ saltem in corpus influxus negatur, ut paucis adhuc, quanquam propositum idem animo initio non erat, dispiciamus, numne afferri rationes nonnullæ possint, quibus, non semper motus & virium motricium quantitatem eandem in mundo conservari, ostendi queat. Scilicet per eandem motus, imo & dictarum modo virium motricium, quantitatem cum Cartesiani, tum etiam Leibnitius ipse, nihil evictum volunt aliud, quam quod motus corporum mundanorum ab aliis corporibus mundanis, in motu positis, proficiatur, & quantitas motus semper quantitati impulsus respondeat, ita ut effectus causæ suæ perpetuo sit æqualis. Hujus autem contrari-  
um

um jam vel solo ignis exemplo videtur probari posse. Consi-  
 stere naturam ignis in motu, sumendum mihi hic est, quoniam  
 prolixum nimis hoc loco futurum esset, rationibus idem proba-  
 re; sumendum & illud est, ignem corpora inflammabilia motu  
 accendere, dum scilicet partes materiae inflammabilis in motum  
 flamma sua redigit. Ignis ergo dum corpora incendit, urit,  
 adurit, motus quadam specie in corpora agit, adeoque & motus  
 est, quando minima scintillula, e silice excussa, bitumina, sul-  
 phura, imo & pulverem pyrium, accendit. Jam vero quæro,  
 num effectus causæ respondeat, & quantitas motus quan-  
 titati impulsus, quando scintilla levisissima tanta pulveris  
 pyrii copia accenditur, ut integri eadem disiliant mon-  
 tes, quin & durissima scindantur saxa? Quodsi enim  
 hic quis putat, esse proportionem inter quantitatem im-  
 pulsus & quantitatem orti ab eodem motus, concedat ne-  
 cesse est, secuturum eundem effectum, si vis motrix, citra medium  
 illud interveniens, objecto ipsi applicetur. Nec est, quod quis  
 excipiat, in mechanicis se rem manifesto aliter habere, quod ibi  
 machinarum ope pondera allevare quis potest, quas, machinis il-  
 lis destitutus, si liberis immediate operi applicaret manus, nun-  
 quam allevaret. Variarum enim rotularum & elastrorum ope  
 quantitas impulsus augetur, majorque, quam quæ a manibus non  
 armatis proficisci queat, redditur: aut, si cui satis hæc responsio  
 minus faciat, concedo lubentissime, augeri & hic motus quanti-  
 tatem, cum major, quam pro quantitate virum motricium, hic  
 deprehendatur effectus. Jam vero applicet, quæso, quis ignis scin-  
 tillam ad integros montes, ad saxa petrasque, videat, num rum-  
 pantur, notabitque nihil minus, quam hunc effectum consequi.  
 Non nego quidem, vim motricem successive augeri, quando pul-  
 veris pyrii copia quædam flammam concipit, siquidem alterum  
 post alterum ejusdem granulum demum accenditur, donec tota,  
 quod tamen momento fere fit, massa a flamma corripitur; con-  
 cedo etiam, si singulorum globulorum accensionem sigillatim,  
 prout successive fit, consideres, effectum suæ semper æquipollere  
 causæ: a scintilla enim, toti massæ immixta, unicum initio ac-  
 cenditur, id scilicet, quod proxime ab eadem corripitur, granu-  
 lum, ab hoc proxime adjacens aliud, a duobus istis duo alia, a qua-  
 tuor istis quatuor alia, donec tota tandem pulveris pyrii quanti-

tas

cas flammam concipit; interim tamen si ad plenum effectum respicias, nemo sanus negabit, superare eundem quantitatem impulsus causæ primæ, produciturque adeo, quoniam pulvis pyrius, hoc modo accensus, fortiorem impulsum, quam qui antea in reliquis corporibus mundanis erat, iisdem imprimit, nova quædam, quæ in mundo antea non erat, quantitas motus, id quod qua specie negari queat, hæcenus nondum video. Non enim disputo, de modo, quo hæc motus quantitas producat, quin & nec opus est, ut is adeo sollicitè hic inquiratur: sufficit, quod vis motrix accensi pulveris pyrii major sit, quam scintillæ in illum immisæ, siquidem illa tanta est, ut gravissima & solidissima quæque corpora disjiciat, rumpat, effringat, quibus omnibus perficiendis scintilla ipsa longe est impar. Quicquid vero hæcenus de accenso pulvere pyrio dictum fuit, illud & de ignibus, imprimis vero incendiis quibuscunque, quibus integræ læpius corripuntur urbes, quæque ex scintillulis tamen minimis singula originem ducunt, dici pariter potest, utpote in quibus eodem modo plenus effectus causam plenam quam maxime superat. Celeb. quidem WOLFFIUS *metaph.* §. 650. putat motum illum omnem jam esse ante accensionem in pulvere pyrio, & per singula granula quasi dispersum, fieri autem per scintillam injectam motus partium motum totius. *Durch das Funcklein, inquit, welches hinein fällt, wird verursacht, daß die Bewegung der Theile zur Bewegung des gantzen wird.* Sed impossibile factum est, ut vehementissimus adeo motus, qualis a pulvere pyrio, exploso modo sclopeto, producit, in adeo parva pulveris quantitate esset dispersus, nec tamen sensibiliter in sensus, ante accensionem adhuc, incurreret: difficile etiam admodum viro celeb. evaderet, ut hanc suam sententiam argumentis luculentis probaret, quæ hæcenus, quod rem nude modo asserit, nondum adduxit. Possem & a sclopetis pneumaticis aliisque experimentis, quæ per compressionem aëris fiunt, argumentum petere; vereor autem, ut æque facile, atque hoc hæcenus deductum, procedat. Respondet enim in iisdem effectus plenus causæ plenæ, siquidem tantam in explosione vim exferit aër, vi suæ elasticitatis, quantus fuit impulsus per compressionem a physico factus, ideoque ab eodem abstinere, & vel in solo ab igne defuncto exemplo acquiesco.

## §. XXIV.

Supereſt, ut alteri objectioni, quæ formari adverſus ſyſtema influxus ſolet, paucis adhuc occurramus. Inter omnes ſcilicet conſtat, negari a plurimis Cartefianorum, quod ſpiritus, ut ſpiritus, poſſit agere in corpus, unde & angelis, & animabus hominum, operationes in corpus ab iisdem denegantur. Quandoquidem autem ſyſtema Leibnitianum eatenus cum Cartefiano convenit, ut influxum animæ in corpus phyſicum neget, non diſplicuit hæc theſis illuſtri Leibnitio, ſed & ipſe eandem fuit amplexus. Non memini tamen in ſcriptis ejus, hæſtenus adductis, me aliquas hujus rei aſſertiones explicitas deprehendiſſe, niſi quod *Theodic. §. 59. p. 243.* edit. germ. ſub ſinem implicite ſententiam illam probat; quemadmodum nec apud celeb. Wolffium in ejus metaphyſ. pro hujus theſeos confirmatione quicquam occurrit. Cl. autem BULFFINGERVS eidem nuper favere viſus eſt, ſaltem ſpiritus aliquos dari putat, qui non queant agere in corpus. Quanquam, ſi dicendum, quod res eſt, vir clariffimus non negat de ſpiritu in genere, poſſe illum agere in corpus; negat tamen a ſpiritu in genere ad animam in ſpecie concludi poſſe, quæ ipſius ſententia, cum nemine eidem, quantum conſtat, communis, paucis hoc loco erit excutienda. TOURNEMINIVS ſcilicet, Gallus, aſſeruerat, concedi quidem poſſe, quod corpus non poſſit agere in animam, animam autem in corpus agere, negari non poſſe. Ita enim ille in *memoires de Trevoux a. 1703. m. Oct. p. 186.* ubi ad objectiones, contra ſyſtema ejus ab aliquo allatas, reſpondet, mentem ſuam explicat, paucisque ſimul probat: *animam eſſe ex ſe activam; cogitare, velle, qui duo agendi modi ſunt animæ convenientes. Non igitur determinatam eſſe ad unum agendi modum. Tertium illi modum convenire poſſe* (intelligit ſcilicet illum, quo & in corpus agit); *convenire etiam, quia motus corporum non poſſit incipere per corpus; moveret etiam, eſi non motum, quod implicat. Itaque ſpiritum eſſe, qui agat in corpora. Agere ergo in corpus, eſſe affectionem ſpiritus, & corpus ſuſcipere actionem a ſpiritu poſſe: ergo actionem animæ in corpus non repugnare, neque ex parte animæ, neque corporis, quemadmodum verba ejus, in latinum idioma translata, in compendio ſiſtit ipſe Dn. BULFFINGERVS in comment. hypotheſ. ſect. III. §. 51. p. 51. ſeq.* Mens autem viri clariffimi huc redit: duas ſolum eſſe ſubſtantiarum claſſes, corpora & ſpiritus: jam

Ad Cl. Bullfingeri exceptionem poſſimum reſpondetur, quod, licet ſpiritus corpus movere queat, anima tamen idem non poſſit.

corpora moveri, & tamen primum corporum motum non posse ab alio corpore esse, quoniam illud ipsum res mere passiva sit, quæ si moveri debeat, aliunde impresso motu habeat opus. Præter corpora vero nullas superesse substantias alias, quam spiritus: ergo corpora a spiritibus motum suum habere, necesse esse, spiritum ergo in corpus etiam agere, & corpus a spiritu motum recipere posse. Atque hæc argumentatio viri doctissimi robore non caret, imo vero unica est, quam ipsa rei contemplatio suggerit, quaque a posteriori, spiritum in genere consideratum in corpus agere posse, probatur. Effectus enim testatur de sua causa. Cum ergo corpora motum suum a semetipsis habere nequeant, & tamen præter ea nullæ substantiæ, quæ movere queant, dentur quam spiritus, quid manifestius, quæso, est, quam quod a spiritu illa motum acceperint. Quod si autem spiritui in genere corporis movendi facultas competit, etiam animæ eadem competat, necesse est, quoniam & anima est spiritus. Ad hanc vero objectionem cl. Bullfingerus jam respondet l. c. p. 52: *in hoc ultimo saltem esse videtur, cum transitus sit a spiritu ad animam, hoc est a genere ad speciem, eo sensu: non repugnat generi, ergo nec speciei. Sed potest in specie alterutra nova esse accessio per differentiam, quam dicimus, specificam, ut deinceps huic repugnare possit, quod generi nondum contradixit.* Dubitavi initio cum hæc verba legerem, num is etiam esset viri clarissimi sensus, quem verba præ se ferunt, siquidem persuadere mihi non poteram, fore, ut a viro philosopho aliqua assereretur thesis, quæ, sit venia verbo, omnibus sanioris logicæ principiis repugnaret. Negat enim vir clarissimus, quod a genere semper ad speciem concludere liceat, quod nemo logicorum hactenus unquam negavit, imo nec negare potuit. Quibus enim, quid genus, quid species sit, notum est, illi norunt, genus appellari logicis conceptum illum universalem, qui colligendo & abstrahendo id, quod omnibus speciebus commune est, formatur. Genus ergo nihil complectitur, nisi quod in omnibus speciebus simul deprehenditur, adeo ut, si aliqua species decur, in qua id non adsit, quod in genere est, nec species generis illius appellari ea queat. Cum itaque idea generis id solum involvat, quod speciebus ejus omnibus est commune, non apparet, qua veri specie saltem in dubium quis vocare possit, quod a genere ad speciem recte concludatur. Vir clarissimus ergo, cum hoc non obstante neget,

neget, posse a spiritu in genere ad animam in specie concludi, aut probet, necesse est, animam non esse veri nominis spiritum, aut concedat, si spiritus est, valere ea omnia de anima in specie, quæ de spiritu in genere asseruntur. Nullius enim est roboris, quando vir clariss. adjicit: *posse in specie alterutra novam accessionem per differentiam specificam esse, ut deinceps huic repugnet, quod generi nondum contradixit.* Meminisse enim vir clariss. debuisset, quando per differentiam specificam conceptus genericus ad certam speciem restringitur, quod hoc ipso ex conceptu generico non aliquid perfectionis auferatur, sed id, quod in genere jam est, per specialem modo accessionem determinetur. Nihil igitur ex conceptu generico per differentiam specificam perit, sed differentia specifica conceptum generis universalem certæ cuidam specie solummodo vindicat, ad eandemque speciali quodam modo restringit. Æque ergo infirma est argumentandi ratio viri clarissimi, ac si quis asserere vellet, corpus naturale in genere quidem esse materiale, & habere partes extra partes, sed id non prædicari statim de plantis & vegetabilibus posse, quandoquidem per differentiam specificam accessio fieri queat, ut speciei jam repugnet, quod generi nondum contradixit: aut etiam de spiritibus in genere quidem concederet, quod sint materiales, de singulis autem speciebus idem ob eandem rationem negaret. Sed quid opus est tantis ambagibus: axioma est ipsi rationi probatum, & in omnibus logicorum libellis tritum atque pervulgatum: *quicquid prædicatur de genere, prædicatur de quavis specie, cuius vir cl. modo, cum hanc exceptionem formaret, videtur esse oblitus.*


## §. XXV.

His tamen aliisque argumentis vir clariss. innixus tantopere sententiæ suæ confidit, ut virtutem corpus movendi a DEO ne quidem animæ concreari potuisse putet. Ad verba enim Tourne-  
*minii, quibus animas a DEO creatas esse cum vi continendi machinam in statu functionibus humanis apposito, quæ ipse p. 42. seq. adducit, respondet l. c. §. 46. p. 47: DEUM concreare posse anima virtutem agendi in corpus, tum licet supponere, cum constiterit, id esse in se possibile; voluntas enim divina & creatio supponunt rerum essentias; non faciunt. Nimum vero est, quod vir clariss. hoc loco defendendum in se suscepit. Possibilia enim DEO illa solum esse negari possunt, quæ intrinsecam involvunt contradictionem: in-*  
 trin

Finis dis-  
 fertationi  
 imponitur.

trinfecam autem contradictionem involvunt, quæ ita comparata sunt, ut unius conceptus conceptum alterius tollit. Sic lignum ferreum, spiritus materialis, corpus cogitans, intrinfecam in se contradictionem continent, quia conceptus ligni conceptum ferri, spiritus conceptum materiæ, & corpus conceptum cogitantis substantiæ, tollit, ita, ut si unum de re quadam prædicetur, prædicari alterum de eadem nequeat. Quisquis ergo jam negat, possibile DEO esse, ut animæ vim corpus movendi concreet, illi demonstrandum est, animæ & vis motricis conceptus ita secum invicem pugnare, ut alter alterum tollat atque excludat, nec consistere alter cum altero queat; quod ipsum tamen nunquam, crediderim, perficiet. Modum ergo vir clariss. hic excedit, & onus probandi rem, quæ probari nunquam potest, in se devolvit. Probandum enim viro cl. erit, quod vel virtus movendi corpus spiritui, in genere repugnet, vel anima nostra spiritus non sit, quorum utrumque tamen sat insuperabilis laboris viro clariss. creabit. Sed res ipsa satis clara est: plura ergo adjicere superfedeo. Prætermitto etiam reliqua, quæ vir cl. assert. Resultant enim maximam partem ex illa peculiari viri cl. hypothesi, §. antecedente rejecta, qua negat, posse id de anima in specie dici, quod de spiritu in genere valet. Redeo ergo ad systema ipsum. Putaverim autem, ostensum hactenus a nobis & ad liquidum deductum esse, impossibile physice esse systema harmoniæ præstabilitæ. Examinata a nobis sunt systematis primaria fundamenta, adductæ virorum celeb. rationes, allata sunt argumenta, quibus obviam iri huic systemati, ejusque infirmitatem demonstrari posse, putavimus, atque ultimo tandem loco ad objectiones nonnullas, adversus systema influxus factas, paucis respondimus: omnia autem solius veritatis causa. Libere quidem & citra respectum personarum mentem nostram exposuimus, non posthabita tamen honoris, viris celeb. debiti, observantia. Fore ergo speramus, ut, si qui dissentire a nobis placuerit, eadem animi moderatione, cum non de salute ecclesiæ aut reipublicæ, sed hypothesi aliqua philosophica, agatur, sua sit propositurus.

F I N I S.





ANNO





Ke 2619

1018 K018

ULB Halle  
002 688 700



3

s. 6.







DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
POSTERIOR  
DE  
**HARMONIA**  
INTER  
**ANIMAM ET CORPVS**  
**PRAESTABILITA**  
*EX MENTE ILLUSTR.*  
GODOFR. GVILIEL. LEIBNITII  
ET CELEB.  
CHRISTIANI WOLFFII  
*QVAM*  
A. O. R. M DCC XXIV. DIE IVL.  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
PRAESIDE  
**M. SAM. CHRISTIANO**  
**HOLLMANNO**  
ORD. PHIL. ASSESS.  
DEFENDET  
**GOTTLIEB FINDEISENIUS**  
GRIESBACENSIS MISN.  
S. S. THEOL. STVD.

---

VITEMBERGAE LITERIS VIDVAE GERDESIAE.